



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. IV. De caractere Sacramentali,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Inde sequitur, superfluum esse susceptionem sacramentorum, quia facilius recipiuntur in re, quam habeatur votum ipsorum, absolute loquendo; tale enim votum importat necessariam contritionem. Adde quod, per realem susceptionem gratia sacramentalis datur ex opere operato, ac verò extra sacramentum, ex opere operantis.

Quærit D. Thomas articulo ultimo hujus questionis, utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent? Sed de hoc commodius dicemus Tractatu sequenti, ubi agemus de circumcisione, & an illa gratiam causaverit, declarabimus. Unde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem inutiliter repetamus.

DISPUTATIO IV.

De charactere Sacramentali.

Ad quæst. 63. D. Thomæ.

Quia sunt aliqua sacramenta in lege nova, quæ præter effectum communem omnibus, videlicet gratiam, habent causare characterem, postquam S. Doctor de gratia sacramentali differuit, agit de charactere sacramentali, utpote secundario, & minus principali sacramentorum novæ legis effectus. Circa illum verò celebres occurrunt difficultates & controversiæ, articulis sequentibus resolvendæ.

ARTICULVS I.

An & quæ sacramenta novæ legis imprimant characterem?

Character est nomen græcum, idem significans ac signum quo solet res aliqua signari vel ut agnoscat, & ab aliis distinguatur, sicut signari solet servus, aut ovis; vel ut usui publico deputetur, sicut signatur pecunia sigillo regio; vel ut ad aliquod officium destinetur, sicut olim qui militiæ nomen dabant, notâ aliqua insigniebantur, quæ character militaris ticebatur. Unde character propriè supponit pro resensibili, à Theologis tamen transfertur ad significandum signaculum quoddam, quo Christiani in susceptione quorundam sacramentorum, cultui divino deputantur. Quærimus ergo, an, & quæ sacramenta novæ legis, tale signaculum seu characterem imprimant; in sacramentis enim veteris legis, non fuisse aliquem specialem characterem impressum, docent communiter Theologi cum D. Thomâ articulo 1. ad 3. ubi sic ait: Sacramenta veteris legis non habebant in se spirituales virtutes, ad aliquem spirituales effectum operantes; & ideo in illis sacramentis non reperiebantur aliqui spirituales characteres, sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio quam Apostolus signaculum nominat Rom. an. 4. Unde Chrysostomus homil. 2. in Epist. ad Ephes. loquens de judæis: Ob signati sunt (inquit) Israelitæ, sed circumcisio, quemadmodum pecudes. His verbis significans signaculum quo judæi à Gentilibus fecerantur, fuisse tantum, sicut in pecudibus, corporale, non verò spirituale, sicut in Christianis.

A

§. I.

Duplici conclusione proposita diffinitur & resolvitur.

Dico primò, aliqua sacramenta novæ legis imprimere characterem.

Conclusio est certa de fide, definita in cap. Maiore, de Baptismo, & in Concilio Florentino in Decreto unionis, & in Tridentino sess. 7. can. 9 ubi sic dicitur: Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non primi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelibile, unde ea iterum non possunt, anathema sit.

Quamvis autem existentia characteris contra Hæreticos eam negantes non possit evidenter probari ex Scriptura, necladduci expellum aliquid illius testimonium; probabiliter tamen suaderi potest ex illo Apostoli, 2 ad Corinth. 1. Qui unxit nos Deus est, & qui significavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris: nec enim tunc illi effectus, quos ibi enumerat Apostolus, mirum signatio, unctio, & pignus, non incongruè ad gratiam sanctificantem referri possunt, nam illa unguimur, & in filios Dei signamur, illique pignus est atque arrha gloriæ futuræ; placet tamen ex SS. Patribus, signationem illam quæ fit in Baptismo, de quo ibi loquitur Apostolus, distinguunt à gratia; dicunt enim characterem illum impressum per Baptismum, reperiri in eis qui carent gratia sanctificante, & qui posterius obicem suæ justificationi, per peccatum infidelitatis, Ita Augustinus lib. 6 de Baptismo contra Donatistas cap. 1. ubi ait: Auctoritate Ecclesiæ in Conciliis generalibus constare, ovem quæ sita erat, & dominicum characterem à salubris depravatione acceperat in Baptismo, venientem ad Christianam vitam salutem, ab errore corrigi, & dominicum characterem in eo agnoscere, nec imprimi. Et Tract. 1. in locum, dicit quod si Baptizatus charitatem non habuit, habet tamen characterem impressum, sed deservit regnum. Item vetustus Scriptor, Haymo nomine, dicit eundem locum Apostoli, Deum dando hoc signum seu signaculum, facere nos genus electum, & iam tunc cum boni non sumus: quod tamen falsum esset, si illa ob signatio de qua loquitur Paulus loco citato, esset effectus gratiæ, sumus enim boni per gratiam.

Favent etiam alii SS. Patres: Cyrillus enim Ierosolymitanus præfat. in Catecheses vocat Baptismum, signaculum sanctum & indelibile, quod non potest intelligi de gratia, utpote delibati per peccatum. Epiphanius lib. 1. Tomi præfat. contra hæreses, hæresi 8 sic habet: Baptismus circumcidit nos à peccatis, & ob signat nos in nomine Domini. Quibus verbis, non solum characterem à gratia remissionis peccatorum distinguit, sed etiam analogia figuræ & veritatis, Circumcisionis & Baptismi, confirmat nostram doctrinam; in Circumcisione enim gratia infusa debatur, & nota quædam in parte corporis relinquebatur, ut igitur veritas ipsa respondeat figuræ, per Baptismum non solum gratiam dari oportet, sed etiam signum aliquod, quod cum non sit corporale, quia transacto Baptismo nihil corporale remanet, oportet quod sit spirituale.

Confirmatur ex aliis SS. Patribus, quæ præfat. characterem sacramentalem agnoscunt, in primis enim Dionysius Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 1. cum

cum dixisset quod Deus in quodam signo sui tradidit participationem accedenti ad Baptismum, subiunxit: *Perficiens ipsum divinum (intellege per gratiam) & communicatorem divinum, per characterem.* Quibus verbis ita expresse characterem sacramentalem videtur agnoscere, ut S. Thomas in 4. dist. 4. quest. 1. art. 1. dicat quod a. 3. Dionysio prima traditio characteris nobis advenit. Illum etiam aperè admittit Cyrillus Alexandrinus in Concilio Ephesino columnâ 1. ubi loquens de eo quod nobis datur in Baptismo, licet ait: *Per eum divinus nobis character imprimitur.* Augustinus etiam illum non obscure expresse, variis in locis, Epistolâ enim 44. ad Donatum: *Vos omnes (inquit) Christi estis, quia characterem dominicum portatis, quem accepistis in sacramento.* Et libro 2. contra Parmenianum. *Si militia characterem in corpore suo, non militans pavidus exhorruerit, & ad elementam imperatoris confugerit, ac prece suscipiat, & imperatâ jam veniâ, militare coeperit, nunquid homine liberato, atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haberent sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota?*

Denique quanti fecerint SS. Patres characterem sacramentalem, colligi potest ex S. Basilio Oratione 13. in qua Catechumenos ut Baptismum recipiant, his verbis hortatur: *Tesseram dices sub te militantis dant, ut amici facilius se invicem noscentes exhortentur, & si cum hostibus commiscantur, facilius discerni ac separari possint.* Quod si forte commilitonum separatio fiat, nemo te quaram, nostram an adversary, partium sis, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem præ te seras; nisi signatum sit super te lumen vultus Domini, nisi characterem in te agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnavit, aut ab inimico vindicabit? Quomodo, inquam, dices Dei sum, signa non ostendens? An ignoras, quem admodum signatis domos in Ægypto exterminator præterit, in non signatis verò primogenita peremit? Thesaurus non obsignatus, furibus facile patebit. Ovis tamen absque nota, insidius protinus est obnoxia.

Ex quibus patet Innocentium III. non fuisse primum characteris sacramentalis auctorem, ut ait Kemnitius, cum Patres citati, multis sæculis ante ipsum vixerint, & cum tempore Magistris sententiarum, qui quinquaginta fere annis Pontificem illum præcessit, doctrina de characterem esset in scholis recepta, ut ipse Magister testatur in 4. sent. dist. 28. Interâ K. ipseque Innocentius in capite Majores, de characterem, tanquam de re notissima, & certissima, & apud Doctores indubitata, loquatur: unde S. Thomas supra citatus, primam characteris traditionem, per Dionysium advenisse affirmat, qui eam accepit ab Apostolis, à Spiritu sancto, & à Christo immediate edoctis.

Licet autem ratio à priori impressionis characteris in aliquibus sacramentis, sit sola Christi voluntas, congruentia tamen non desunt, potius ex analogia ad res humanas illa quam D. Thomas hic art. 1. adducit, optima est: Sacramenta enim non solum ordinantur ad remedium peccati, sed etiam ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei: quando autem aliquis deputatur ad aliquid determinatum, solet ad id consignari, & per aliquid sibi impressum aut additum deputari: unde sicut milites qui ad scribentur militia, solebant olim quibusdam characteribus corporalibus insigniri, quia ad aliquid corporale deputa-

bantur: ita congruum est, Christianos, qui per sacramenta ad aliquid spirituale deputantur, spirituali aliquo characterem consignari & consecrari.

Addo quod, Baptismus, etiam cum fictione susceptus, non debet etiam in hæreticorum doctrina iterari: Ergo habuit aliquem effectum; si enim nullum habuit, nulla apparet ratio quare non debeat iterari: Sed ille effectus non potest esse gratia, si fides iustificans, hæc enim indignè suscipienti sacramentum, etiam in eorum doctrina, non confertur: Ergo debet esse character.

Respondent hæretici, Baptismum, ob quadruplicem alium effectum quem habet, iterari non posse. Primo, quia significat Christi mortem: Christus autem semel tantum mortuus est. Secundo, quia est sacramentum fidei: fides autem est una. Tertiò, quia Deus in illo sacramento, quasi in init fedus nobiscum: divina autem pacta & federa sunt perpetua. Quartò, quia Baptismus est regeneratio spiritualis; nemo autem generatur plusquam semel.

Sed contra primum est, quod Eucharistia significat etiam Christi mortem, juxta illud 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis, & tamen non semel tantum, etiam apud hæreticos, sumitur Eucharistia.*

Contra secundum: Fidei unitas non impedit quin possimus sæpius fidem nostram protestari, imò redeuntes ad Ecclesiam jubentur Catholica fidei professionem iterum edere. Adde quod, sicut ad Ephesios 4. dicitur *una fides, unum Baptisma*: ita etiam Eucharistia vocatur *unus panis*.

Contra tertium est, quod divinum pactum est etiam in aliis sacramentis, nimirum tribuendi jus ad vitam æternam, & tamen iterantur. Deinde, pactum Dei non est perpetuum simpliciter, sed solum si homo servet conditiones pacto appositæ: fieri autem potest, ut non servet id quod promiserat in Baptismo, & consequenter quod pactum non impediatur Baptismus iterari: Ergo &c.

Contra quartum est, quemadmodum licet anima non sæpius producat in esse natura, potest tamen sæpius produci in esse gratia, quoties nimirum mundatur à peccato mortali: ita licet homo non possit sæpius generari substantialiter quoad entitatem suam, bene tamen spiritualiter quoad gratiam. Deinde recipiens Baptismum cum intentione non recedendi à peccatis, & tamen sacramentum ipsum recipiendi, non regeneratur spiritualiter, quandoquidem non iustificatur, ob appositionem obicis divina gratia, & tamen non potest denuò baptizari: Ergo &c.

Dico secundo: per tria sacramenta imprimi characterem, nimirum, per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: non verò per alia quatuor, nempe Eucharistiam, Penitentiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium.

Utraque pars est de fide, definita in Florentino in Decreto unionis, ubi de sacramentis novæ legis sic dicitur: *Inter hæc sacramenta, tria sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum, imprimunt, indelebile in anima, unde in eadem persona non reiterantur: reliqua verò characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Similia habet Tridentinum sess. 7. can. 9.

11 Probatur prima pars ratione D. Thomae hic art. 6. Character est quaedam spiritualis potestas, quâ homo deputatur ad agendum aliquid, vel ad recipiendum ea quae pertinent ad cultum sacerdotii Christi: Sed per sacramentum Confirmationis & Ordinis homo deputatur ad agendum aliquid pertinens ad cultum sacerdotii Christi, nimirum ad propugnandam eius fidem, vel ad sacramenta alii tradenda: per sacramentum verò Baptismi accipit potestatem recipiendi alia sacramenta, quare Baptismus omnium sacramentorum jama dicitur: Ergo per haec tria sacramenta character imprimitur. Unde idem S. Doctor in 4. dist. 7. quaest. 2. art. 1. quaest. 1. ad 2. ait, *In distinctione filiorum Israel ab Aegyptiis, significabatur character Baptismalis: in distinctione timidorum à fortibus in bellis, character Confirmationis: in distinctione Levitarum à fratribus suis, character Ordinis.*

12 Secunda pars quae asserit per alia quatuor sacramenta Characterem non imprimi, probatur primò ratione quam tradit idem Doctor Angelicus eodem art. 6. citato, in argumento *sed contra*, & indicat Florentinum verbis supra relatis: Sacramenta in quibus imprimitur character, non reiterantur, eò quòd character indelebilis sit: Sed alia quatuor sacramenta iterantur: Ergo characterem non imprimunt.

13 Probatur secundò aliâ ratione, quam habet idem S. Doctor in corpore ejusdem articuli. Ea solum sacramenta characterem imprimunt, quibus homines specialiter cultui divinò deputantur: Atqui tribus tantum prædictis sacramentis deputantur cultui divinò: Ergo solum tria illa sacramenta characterem imprimunt. Major patet ex dictis conclusionibus præcedenti, Minor probatur. Quamvis omnia sacramenta sint aliqua caeremonia religiosa, & cultus divini, tamen per se omnia ordinantur in bonum suscipientis, & in remedium peccati: tria verò solum secundariò tribuunt hominibus quandam spirituales potestatem exercendi cultum divinum, vel per modum agentis, vel per modum patientis, ut Baptismus dat potestatem suscipiendi alia sacramenta, Confirmatio dat vim pugnandi pro Christo, & profitendi fidem coram tyrannis: Ordo dat potestatem offerendi sacrificium, vel in ordine ad illud ministrandis: Penitentia verò habet solum restituere peccatorem in pristinum statum, quo religiose modo ordinario colit Deum; Extrema Unctio, cum detur solum migrantibus ex hoc saeculo, non ordinatur ad specialem illum cultum, sed removel reliquias peccatorum; Matrimonium etiam, ut constat, non tribuit spirituales illam potestatem; denique Eucharistia, licet sit essentialiter cultus divinus, per modum actionis, ut loquitur S. Thomas, tamen, cum sit consummatio totius cultus divini, & finis omnium sacramentorum, non ordinatur ad specialem cultum, nec tribuit spirituales potestatem exercendi cultum divinum, quin potius omnis potestas ad illum ordinatur.

14 Confirmatur ex pulchra analogia characteris divini cum humano. Illi solum apud homines solent ab Imperatoribus characterem insigniri, qui suscipiunt potestatem exercendi aliquod officium publicum erga Regem: unde non omnes qui in mensa Regis comedunt, nec qui reconciliantur Regi, nec qui homines in regno multiplicant, characterem suscipiunt, sed qui

A admittuntur ad familiam Regis, qui militiam ejus exercitum, & quibus committitur aliquod officium speciale. Pariter ergo imprimitur character divinus per Baptismum, qui est introitus in familiam Christi per Confirmationem, qui Christiani sunt milites ejus; & per Ordinem, quo suscipitur officium ministrandi sacra, non verò per alia sacramenta.

S. 11.

Solvuntur objectiones Hæreticarum.

O Bjiciunt primò Hæretici contra præcedentes conclusiones, nomen characteris sacramentalis nusquam haberi in Scriptura, sed deique ipsum admittendum non esse.

E Secundo sic arguunt: Augustinus in libro de gestis dicit, quod character exterior agnoscitur, agnitus approbatur: Atqui character spiritus non agnoscitur exterior, sed solum sacramentum sensibile: Ergo per characterem Augustinus intelligit ipsum sacramentum.

Tertiò, idem S. Doctor ibidem ait, quod si baptizaretur in nomine Donati, reciperet characterem Donati: At nullus esse potest character Donati animæ impressus: Ergo S. Augustinus nullum agnovit characterem spirituales animæ impressum per receptionem sacramenti.

Quartò, idem Augustinus ibidem asserit characterem esse invocationem Trinitatis: Ergo non est aliquod signaculum animæ inherens, sed ipsi per sacramenta impressum.

C Quintò, Sacramenta vetera non causabant characterem: Ergo nec nova.

Denique, Videmus hodie homines ad militiam corporalem, absque eo quod notentur assigillentur in corpore, notis seu characteribus corporalibus, sed sufficere quod verbore benedice admittantur ad militandum, vel in aliquo libro eorum nomina scribantur: Ergo ut sentitur proportio inter militiam spirituales & corporalem, sufficit in Christianis extrinseca designatio à sacramento præterito, vel relationis, sicut in militia corporali; subindeque character spirituales, animæ per sacramenta Baptismi vel Confirmationis impressus, superfluous & fictitius videtur.

D Ad primum respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: Nomina enim hypostasis & personarum, expressè in sacris litteris non habentur, ut tradit Hieronymus in Epistola ad Damasum, & tamen hæretici iniquitatis nomina illa non rejiciunt. Item Patres ingenitum esse, Scriptura similiter non tradit, teste Augustino, & tamen hoc hæretici impuginare non audent. Licet ergo similiter nomen characteris sacramentalis nusquam legatur in Scripturis, id tamen non est sufficiens argumentum ad ipsum negandum; præsertim cum apud Dionysium, Cyrillum, Augustinum, & alios SS. Patres supra citatos reperatur.

E Ad secundum respondeo Augustinum solum velle characterem cognosci exteriori ex sua causa, hoc enim ipso quod externo sensu cognoscimus aliquem esse baptizatum, cum Baptismus sit causa characteris, cognoscimus etiam quodammodo exteriori characterem, quia cognoscimus ejus causam.

Ad tertium dico quod quando Augustinus ait, eum qui baptizaretur in nomine Donati, reciperet characterem Donati, arguuntur ad hominem, & vult inde probare, quod si Donatus non habet potestatem imprimendi characterem

charactere interius in anima, ita nec instituenti Baptismum administrandum in nomine proprio.

Ad quartum dicendum, Augustinum loqui in sensu causali, quia per invocationem Trinitatis, tanquam per causam, in sacramento Baptismi imprimitur character spiritualis in anima baptizati.

Ad quintum, concessio Antecedente, nego Consequentiam & paritatem: Tum quia sacramenta novae legis multo excedunt sacramenta veteris legis: unde licet in sacramentis antiquis nullus requireretur spiritualis character, bene tamen in nostris. Tum etiam, quia ut ait D. Thomas hic art. 1. ad 3. *Sacramenta veteris legis non habebant in se spirituales virtutes ad aliquem spirituales effectus operantes, sicut habent sacramenta novae legis.* Addo quod in Circumcisione, externa illa carnis abscissio erat sufficiens ad distinguendum Judaeos ab infidelibus.

Ad ultimum, concessio pariter Antecedente, nego etiam consequentiam & paritatem: sicut enim licet inter homines amicitia non ponat aliquid intrinsecum, amor tamen divinus formam aliquam & qualitatem supernaturalem, nimirum gratiam sanctificantem, in anima ponit & causat, ut suavius res disponantur, & propter maiorem efficaciam divinae operationis & amicitiae, ut in Tractu de gratia ostensum est. Ita pariter, licet homines ad malitiam corporalem ascribi possint, absque eo quod nota aliqua seu character corporali notentur in corpore, ad suavem tamen Dei providentiam pertinet, ut milites suos spirituales, spirituali interno, & indelebili insignat characterem ex excellentia sacerdotii Christi, & sacramentorum ejus, eorumque vis & efficacia magis reluceant, & suaviori modo res disponantur.

ARTICULUS II.

Quid sit character sacramentalis?

Um essentia cuiuslibet rei ex ratione generica & specifica constet, ut natura characteris plenè & integrè habeatur, duo in hoc articulo explicanda sunt: nimirum in quo genere entis character ponatur, & in qua specie collocetur?

Variae autem circa haec duo sunt Authorum sententiae. Durandus enim in 4. dist. 4. quaest. 1. num. 11. asseruit characterem sacramentalem esse tantum relationem rationis, vel denominationem extrinsecam, quā aliquis ratione sacramenti suscepti dicitur ad certum statum vel munus deputatus. Scotus verò in 4. dist. 6. quaest. 10. fatetur quidem characterem esse aliquid reale, non tamen absolutum, sed relativum, relationem quam vocant extrinsecam, sive extrinsecis advenientem, quia posito ipsius fundamento, seu subiecto (quod inquit est ipsa animae substantia) & termino, qui est Christus, quia character est signum Christo assimilativum, non confurgit relatio illa, nisi praeterea aliquid extrinsecum ipsi adveniat, nimirum susceptio alicujus sacramenti quae characterem imprimunt. Communiter tamen ceteri Theologi docent characterem esse ens absolutum, & pertinet ad predicamentum qualitatibus.

Verum cum quatuor sint species predicamentorum qualitatibus, nimirum habitus & dispositio, po-

tentia & impotentia, passio & paribilis qualitas, forma & figura, adhuc gravis inter eos controversia est, ad quam ex illis specialiter character pertineat? Alii enim volunt pertinere ad primam, alii ad secundam, alii ad tertiam, & alii ad quartam. Primum placet Bellarmino, Suari, Vazqui, & aliis Recentioribus. Secundum docetur à D. Thoma & ejus Discipulis, nec non à Valentia, Henrique, Sayro, & aliis. Tertium olim docuere Altiſiodorensis & Ocham, quibus adherere videtur Cardinalis Delugo hic disp. 6. sect. 3. num. 48. ubi dicit quod possumus facile constituere characterem in tertia specie qualitatis, quia est paribilis qualitas, nec enim in ea specie solum institui debent qualitates corporeae. Non desunt etiam qui asserant characterem esse in quarta specie qualitatis, quia (inquiunt) est quaedam figura spiritualis. Ita Martilius, Salas, Averſa, & alii.

S. I.

In quo genere entis, & in qua specie ponatur character, sequentibus conclusionibus declaratur.

Dico primò: erroneum videtur asserere quod character sit sola relatio rationis, aut determinatio extrinseca.

Probatur primò: Concilium Florentinum & Tridentinum vocant characterem, *signum spirituale animae impressum*, quod tamen verificari nequit, propriè loquendo, de ente rationis, utpote quod non imprimatur animae, sed tantum existit objectivè in intellectu. Nec dicas hunc modum loquendi Conciliorum, non esse necessariò intelligendum cum proprietate. Contra enim est, quod semper debent Concilia ita intelligi, nisi hoc sit evidenter impossibile, quod tamen non contingit in praesenti.

Confirmatur primò: Concilia hoc modo loquendi damnavunt haereticos negantes aliqua ex sacramentis novae legis imprimere characterem: Sed non negabant haeretici, neque negare poterant, eiusmodi denominationem extrinsecam, vel relationem rationis in qua constituitur Durandus characterem; quis enim negare posset, quod ratione susceptionis Baptismi maneat homo deputatus, sive ordinatus ad certum statum? Ergo &c.

Confirmatur secundò: Si character non sit quid reale, sed relatio rationis, sive denominatio extrinseca, confurgens ex eo quod per susceptionem sacramenti homo deputatus specialiter ad cultum divinum, ipsa etiam legis antiquae sacramenta, saltem circumcisio, & consecratio sacerdotum, dici poterunt impressisse characterem; imò & nunc consecratio altarium, & vasorum templi, per quam ad sacros usus deputantur, dici poterit eis imprimere characterem: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Probatur secundò: Character sacramentalis est principium vel agendi realiter, ut in sacerdote ad consecrandum panem & vinum, & in confirmato ad proteſtandum fidem contra Tyrannum, vel recipiendi realiter alia sacramenta, ut in Baptismate: Sed ens rationis non potest esse principium realis actionis, vel passionis: Ergo character sacramentalis relatio rationis esse nequit.

Probatur tertio: Terminus immediatus actionis realis debet esse aliquid reale, nunquam enim ens rationis sic terminat actionem realem, sed tantum mediare, unde dicitur fieri per resultantiam: Atqui character est, interdum sal-

rem, terminus immediatus actionis realis, videlicet sacramentalis; in eo enim qui cum fictione, & tamen valide suscipit sacramentum Baptismi, nequit alius terminus assignari, præter ipsum characterem, quandoquidem non producit gratia in illo casu: Ergo character est aliquid reale, non verò sola relatio rationis.

Dico secundò: character sacramentalis non est relatio, sed ens absolutum, pertinens ad prædicamentum qualitatis.

- 28 Probatur prima pars ratione jam insinuatâ: Quod immediatè terminat actionem realem, non potest esse relatio, etiam realis, nam ad relationes formaliter & immediatè non datur motus, teste Aristotele 7. Physicorū textu 1. o. & 1. 1. imò nec actio, ut ex eodem textu colligitur: Sed character (ut supra dicebamus) est interdum terminus immediatus actionis realis: Ergo non est relatio realis, sed aliquid absolutum.

- 29 Respondet Scotus, locum Aristotelis intelligendum esse de relationibus internis, non verò de relationibus quæ extrinsecus adveniunt.

Sed contra: Ipsæmet Scotus inter relationes extrinsecus advenientes ponit relationem dextræ ad sinistram, quia idem numero corpus potest nunc dextrum nunc sinistram fieri, per mutationem alterius, quamvis in se nullum motum, nullamve mutationem recipiat: Sed Aristoteles loco citato negans ad relationem dari per se sive immediatè motum, affert exemplum eorum relatorum quæ diversos respectus acquirunt, mutato solum uno extremo, & non altero: Ergo loquitur etiam de relationibus, quas Scotus vocat externas, seu extrinsecus advenientes.

- 30 Probatur secundò eadem pars: Nulla relatio, etiam realis, potest esse principium agendi, vel patiendi, quia totum ejus esse est ad aliud se habere tanquam ad terminum: Sed character baptismalis est principium patiendi, Confirmationis verò, & Ordinis, principium agendi: Ergo character sacramentalis, relatio realis esse nequit.

- 31 Probatur tertio: Si character esset, ut docuit Scotus, relatio realis, posset, & deberet assignari fundamentum proximum ipsius: Sed non potest assignari tale fundamentum: quæro enim quodnam sit?

- 32 Respondent ejus Discipuli, esse actualemente susceptio sacramenti, quod dicitur imprimere characterem.

Sed contra: Impossibile est relationem actu manere, non existente amplius ipsius fundamento proximo: Sed transactâ actuali sacramenti imprimendi characterem susceptione, remanet character, utpote in omnium doctrina indelebilis: Ergo si sit relatio realis, falsum est quod susceptio sacramenti sit ejus fundamentum proximum.

Si dicant Adversarii, remanere virtualiter susceptionem sacramenti, & et formaliter transire, quæro quid sit illa virtus? Certè non potest aliud assignari, præter ipsum characterem, præsertim in eo qui fide suscipit sacramentum, habens tamen intentionem ipsum suscipiendi.

- 33 Mitto quæ à Philosophis objiciuntur adversus illas Scoti relationes, quas vocat extrinsecus advenientes, solumque addo, in ejus doctrina, non magis propriè, quam in opinione Durandi, verificari verba Conciliorum dicentium characterem spirituale esse animæ impressum, ne-

que enim propriè loquendo dici potest relatio etiam realis imprimi: non est igitur character relatio etiam realis, sed solum fundamentum quadruplicis relationis, videlicet relationis ad Christum cui consignat, & quodammodo assimilatur, cum sit quædam participatio sacramenti Christi; relationis ad alios fideles habentes similem characterem; relationis ad alios qui manent vel saltem non similem habent characterem, quæ est relatio dissimilitudinis; & tandem relationis ad cultum divinum ad quem ordinatur, quæ tunc est adu, quando ejus terminus, scilicet cultus divinus, actualiter ponitur.

Ex his probata manet secunda pars conclusionis, quæ asserit characterem sacramentalem ad prædicamentum qualitatis pertinere, supponit enim quod character sit ens reale, & absolutum ad aliud genus, quam ad prædicamentum qualitatis, pertinere nequit, non potest enim pertinere ad prædicamentum substantiæ, cum sit accidens supernaturale, à substantia animæ distinctum, & in ea per operationem sacramentalem productum; nec ad prædicamentum quantitatis, quia hæc est accidens corporeum, & ordinis naturalis; ille verò est accidens spirituale, pertinet ad ordinem supernaturalem. Quod etiam non sit actio, vel passio, vel aliquid ex quatuor ultimis prædicamentis, manifestum est: actio enim & passio cito transeunt, character verò est aliquid permanens: item quatuor ultima prædicamenta sunt entia corporea, character verò spiritualis est; præterquam quod hujusmodi prædicamenta resultant in subiecto ex adhesionem adjacentia extrinseca alterius rei, quod non convenit characteri: facta ergo sufficienti enumeratione, relinquitur characterem ad genus seu prædicamentum qualitatis spectare, unde solum restat resolvendum, ad quam ex quatuor speciebus qualitatis supra enumeratis pertineat.

Dico ergo secundò, characterem non poni quartam vel tertiam speciem qualitatis.

Probatur prima pars: Illa solum forma pertinet ad quartam speciem qualitatis, quæ proprie & non per metaphoram tantum dicitur figura, sive forma: Atqui character sacramentalis dicitur propriè, sed solum per metaphoram, figura, vel forma: Ergo ad quartam speciem qualitatis non pertinet. Major est certa, res enim non constituuntur in specie per denominationem metaphoricam, sed per rationem formalem propriam, aliàs ex eo quod virtus dicitur facere hominem rectum, constitueretur in specie bene, vel figuræ, ad quam rectitudo pertinet. Minor verò probatur: Cum figura propriè dicitur proprietas quantitatis, non reperitur in rebus spiritualibus: Sed character sacramentalis est spiritualis: Ergo non dicitur propriè figura, sed solum metaphoricè, quatenus scilicet dicitur in rebus sensibilibus uti solemus figuris imprecis, tanquam signis quibus eas distinguimus & figuramus: ita proportionaliter character sacramentalis est qualitas spiritualis animæ imprecis, ratione cujus ordinatus verbi gratia tanquam specialis Dei minister distinguitur à non ordinato. Hanc rationem insinuat D. Thomas articulo 2. ad 1. ubi sic dicitur: *Figura est quæ terminatio quantitatis, unde propriè loquendo non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphoricè: non autem ponitur aliquid in genere vel specie, nisi per id quod de eo propriè prædicatur, & ideo character non potest esse in quatuor ultimis*

qualitatis, licet hoc quidam posuerint.

Probat etiam secunda pars conclusionis, quæ aliter characterem non poni in tertia specie qualitatibus. Ad tertiam speciem qualitatis, nempe passionem & patibilem qualitatem, pertinent tantum illæ formæ quæ sunt principia vel termini actionum, quæ sunt cum alteratione sensibiles, sicut pallor qui fit ex metu, & rubor qui causatur ex verecundia: Sed character non est ejusmodi, utpote spiritualis: Ergo ad tertiam speciem qualitatis non pertinet. Hanc etiam rationem indicat S. Thomas articulo citato in resp. ad 2. ubi sic habet: *In tertia specie qualitatibus non sunt nisi sensibiles qualitates: character autem non est lumen sensibile, & ideo non est in tertia specie qualitatibus, ut quidam dixerunt.* Et in argumento *sed contra* sic argumentatur: *Character non est passio, quia passio cito transit, character autem indelebilis est, ut infra dicitur.*

Dico tertio: character non est in prima specie qualitatis, sed in secunda. Ita D. Thomas hic art. 2.

Probat primo conclusio ratione fundamentali. Quidquid reducit ad primam speciem qualitatis, est habitus, vel dispositio: Sed character nec est habitus, nec dispositio: Ergo ad primam speciem qualitatis non pertinet. Major patet, Minor etiam quoad secundam partem manifesta videtur: Dispositio enim est qualitas facile mobilis à subiecto: Sed character, utpote indelebilis, non est qualitas à subiecto facile mobilis: Ergo non est dispositio. Probat vero quoad primam, Primo quia habitus sunt intensibiles & remissibiles, scilicet potentie: Sed character nusquam intenditur, vel remittitur: quantumlibet eo utatur sacerdos, aut ab ejus exercitio desistat: Ergo non est habitus, sed potentia. Secundò, indelebilitas est proprietates potentie, non vero habitus: Sed character est indelebilis, ut infra ostendemus: Ergo non est habitus, sed potentia. Tertio, Differentia essentialis quæ est inter habitum & potentiam, in hoc consistit, quod habitus disponit subiectum determinate bene aut determinate male, vel in se absolute, vel in ordine ad operationem; potentia vero perficit subiectum in ordine ad operationem absolute & indifferenter, sive bene, sive male: voluntas enim est principium volitionis nedum virtuosæ, sed etiam vitiosæ: scientia vero influit solum in cognitionem certam & evidentem, ex principiis deductam, & virtus moralis est principium solum operis conformis rationi, sive dictamini prudentiæ. Et quamvis qualitates istæ primæ speciei, quæ dant determinate bene aut male operari, sint in duplici differentia, aliæ scilicet quæ absolute & simpliciter dant determinate bene, aut determinate male, secundum naturam subiecti, quia disponunt ad operandum absolute conformiter aut difforderiter ad rectam rationem; aliæ quæ dant determinate bene aut male secundum quid, & cum addito, id est in aliquo certo genere, sive circa certam aliquam materiam, & obiectum speciale alicujus potentie; sicut sunt scientia & error, quæ disponunt ad bene vel male discurrendum, ex principiis, sicque qualitates istæ relinquunt indifferentiam in subiecto, ut iis bene vel male utatur in alio genere extra propriam illam materiam, ob quam rationem potest quis bene

Tom. V.

A discurre ex principiis, bene tamen aut male indifferenter in genere moris; hoc tamen habent omnes qualitates primæ speciei, quod si dent bene, nullus possit iis male uti in propria materia, sive illa materia sit bonum totius, ut constat in virtutibus moralibus, quæ versantur circa bonum rationis, sive sit bonum alicujus particularis potentie; nec similiter possit ullus iis bene uti in propria materia, si dent male operari: at verò qualitates secundæ speciei relinquunt in subiecto indifferentiam ad bonum vel malum sui usum circa propriam materiam.

B Character autem relinquit animam indifferentem, ut bene vel male ipso utatur circa propriam materiam, propria enim ejus materia est cultus exterior religionis Christianæ, disponit enim ad ea quæ sunt divini cultus perficienda, agendo vel patiendo; nam character Baptismi disponit ad recipienda alia sacramenta; character Confirmationis, ad profitendam fidem coram tyranno; character verò Ordinis, ad conficiendum Eucharistiam, absolvendum a peccatis &c. Et quia hæc possunt exerceri religiose aut sacrilegè (potest enim baptizatus alia sacramenta infructuose percipere, confirmatus profiteri fidem ex motivo vanæ gloriæ, vel religionis, & sacerdos sacrilegè vel religiose consecrare, vel absolvere) ideo character ea non respicit, ut bene & religiose determinate perficienda, aliàs nusquam valide exercerentur, si religiose; sed recipit ea absolute, ut perficienda cum habitu dine ad regulas morum, non determinando ad habitudinem conformitatis aut difforderitatis, sed hæc determinatio habitudinis est à virtute religionis, aut à vitio illi proposito.

C Ex quo melius intelligitur differentia characteris à virtutibus secundum quid, quales sunt scientia, ars &c. hæc enim non recipiunt suam materiam, ut subest regulis morum, sed scientia illam respicit, ut subest certitudinibus & evidentie principiorum, & formæ præceptisque dialecticis, ars verò respicit illam, ut subest regulis artis, & sic quamvis scientia & ars non determinant subiectum ad bonum sui usum in genere moris, non relinquunt tamen illud indifferens in propria materia, sed extra illam. At verò character respicit cultum & caeremonias religionis Christianæ, nedum in esse entis, sed etiam prout pertinent ad genus moris, & non dat eas exercere bene aut male determinate, ac proinde relinquit indifferentiam in suo obiecto, circa genus in quo propria ejus materia continetur, ad bene vel male, religiose & sacrilegè; unde se habet respectu caeremoniarum divini cultus, prout pertinent ad genus moris, sicut voluntas se habet in ordine ad bonum: quare sicut voluntas dat posse prosequi bonum absolute, sive sit tale in re, sive secundum apparentiam tantum; quod autem verum bonum determinate, aut apparens prosequatur, habet à virtutibus & vitiis: ita character dat posse peragere Christianæ religionis cultum & caeremonias, ut sunt actus humani & morales; quod verò perficiantur determinate bene aut male, intra genus moris, habetur à religione, aliisque virtutibus aut vitiis respective.

Hanc rationem, quæ est præcipua & fundamentalis, innuat D. Thomas hic art. 2. in argumento *sed contra*, ubi sic discurre: *Nul-
lus habitus est, qui se possit ad bene & male habere:*

K 3

habere:

habere: character autem ad utrumque se habet, utrum-
tur enim eo quidam bene, alij vero male, quod in ha-
bitu non contingit: nam habitu virtutis nullus utitur
male, & habitu malitie nullus bene: Ergo relinqui-
tur quod character sit potentia.

40 Dices cum Vazquez, characterem non esse ha-
bitum disponentem ad operandum, & ideo ne-
que disponentem ad bene vel male operandum
sed ad bene vel male se habendum secundum se,
quod sufficit ad rationem habitus.

Sed contra: Character sacerdotalis concurret
active ad conversionem panis in corpus Christi,
ut docet D. Thomas infra quest. 78. art. 4. &
idem dicendum est de absolutione & productio-
ne gratiae, in anima poenitentis; character etiam
Confirmationis concurret active ad confiten-
dum publice fidem, ut constabit ex infra dicen-
dis: character etiam Baptismi, ad alia sacra-
menta recipienda ordinatur: Ergo character est qua-
litas activa vel passiva, subindeque si esset habi-
tus, ad bene vel male operandum vel recipien-
dum disponderet, non vero ad bene vel male se
habendum secundum se, ut ait Vazquez: unde in
Catechismo Pij V. de sacramentis in genere §.
penultimo dicitur, quod character hoc praestat, ut
apti ad aliquid suscipiendum vel peragendum effici-
antur.

41 Alij responsionibus, vel instantiis, hanc D.
Thomae rationem, luce meridianam clariorem,
veluti quibusdam nebulis obscurare nititur
Suarez, sed haec facile depelli possunt ex funda-
mentis iam statutis, & ex discrimine supra ex-
plicato inter characterem, & scientiam, alias-
que virtutes in intellectu speculativo existen-
tes, magisque in solutionibus argumentorum
instantiae illae diluentur.

Secunda ratio quam idem S. Doctor habet incor-
pore ejusdem articuli, potest sic breviter propo-
ni. Illa qualitas qua homo fit potens ad recipien-
da vel tradenda ea quae sunt cultus divini est po-
tentia. Sed per characterem homo fit potens ad re-
cipienda vel tradenda ea quae sunt cultus divini.
Ergo character est potentia. Majore est evidens,
quia qualitas ad recipiendum ordinata, est po-
tentia passiva; quae vero ad agendum ordinatur,
potentia activa: Sed qualitas qua homo fit po-
tens ad recipienda ea quae sunt cultus divini, or-
dinatur ad recipiendum; qua vero fit potens ad
tradenda ea quae sunt cultus divini, ordinatur
ad agendum: Ergo qualitas qua homo fit potens
ad recipienda vel tradenda ea quae sunt cultus
divini, est potentia. Minor vero probatur: In
Baptismo verbi gratia homo acquirit potestatem
recipiendi alia sacramenta, quae sunt quidam
cultus; quam potentiam non habebat antea, cum
Baptismus sit janua omnium sacramentorum: si-
militer quando quis ordinatur in sacerdotem,
accipit de novo potestatem conficiendi corpus
Christi, absolvendi a peccatis, & producendi
gratiam: Sed nihil aliud potest esse illa potestas,
nisi character: Ergo &c. Major patet, Minor
probatur. Sacramenta nihil producant praeter
gratiam, virtutes infusas, & characterem: Sed
nec gratia, nec virtutes infusae possunt esse hu-
jusmodi potentia, ut manifestum est, alioquin
illa in omnibus iustis, non vero in solis sacerdo-
tibus reperiretur: Ergo talis potestas nihil aliud
potest esse quam character.

24 Respondent Suarez, Vazquez, & alij Recen-
tiores, hanc rationem D. Thomae probare qui-
dem characterem esse potentiam moralem ad

recipiendum vel tradendum ea quae sunt cultus
divini, non demonstrare tamen illum esse po-
tentiam physicam ad hujusmodi res, cum haec
plures ex illis actibus qui ad cultum divinum
pertinent, absolute possint sine characterem ex-
cere, verbi gratia cantare Epistolam, vel Evan-
gelium, deferre candelabrum, &c. & characterem
solum requiratur, ut tales actus eliciat vel ex-
ceat ex officio.

Sed contra primo: Absurdum videtur dicere
potentiam quam habet Sacerdos ad conficien-
dum corpus Christi, vel ad absolvendum a pec-
catis, non esse diversam a potestate iudicis, vel
Praetoris, quae moralis est; praeterim cum talis
potestas sit participatio sacerdotij Christi, & po-
testatis quam habet ad producendam gratiam,
& alios actus supernaturales eliciendos; quae
potestas physica est, & non solum moralis, ut in
Tractatu de Incarnatione fuse ostendimus.

Secundo, Sacerdos instrumentaliter physice
concurrit ad productionem gratiae in anima poe-
nitoris, quem peccatis absolvit, & ad conver-
sionem panis in corpus Christi, ut disp. praede-
centi ostensum est, & Suarez, alique ex adve-
sariis nobiscum docent: Ergo potentia quam
habet ratione characteris sacerdotalis ad agendum
illos exercendos, physica est, & non solum mo-
ralis.

Tertio, Character est indelebilis, nec potest
intendi, vel remitti: At haec potentiae morales
convenire nequeunt, sed solum potentiae physicae:
Ergo character est potentia physica.

Quarto, Potentia solum moralis, in relatione
rationis, vel denominatione extrinseca consti-
tuitur, ut patet in potestate iudicis, vel Praetoris,
quae sunt purae denominationes extrinsecae, vel
relationes rationis: Sed character sacramentalis,
non est sola relatio rationis, vel denomi-
natio extrinseca, ut conclusionem primam contra Du-
randum ostendimus: Ergo non est potentia solum
moralis, sed etiam physica.

Denique, Non repugnat characterem sacra-
mentalem esse potentiam physicam, ut constabit
ex solutione objectionum, aliunde vero hoc
cedit in maiorem ipsius dignitatem, & magis
proprie explicat doctrinam Augustini & alio-
rum Patrum asserentium characterem Baptismi
esse potentiam ad recipienda alia sacramenta:
Ergo hoc ei concedendum est.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primo cum Durando contra pri-
mam conclusionem: Per hoc quod quis de-
putatur a Rege ad aliquod ministerium, pene-
ris v. g. vel iudicis, non imprimatur illi aliquod
reale, sed solum ex tali depuratione confertur
denominatio extrinseca, vel relatio rationis, per
quam intellectus distinguit illum qui sic de-
putatus est, ab aliis non ita deputatis: Ergo cum cha-
racter sacramentalis solum propter hoc consti-
tuatur, ut homo deputetur a Deo ad aliquod mi-
nisterium cultus divini, est solum denominatio
extrinseca, vel respectus rationis.

Respondeo concessio Antecedente, negando
consequentiam; & pariter: haec enim est dif-
ferentia inter Deum & homines, quod homi-
nes deputando aliquem ad aliquod officium,
non ipsum intrinsece mutant, nec dant ipsi qua-
litem aliquam per quam reddatur idoneus ad
illud exercendum, sed illam praesupponunt
vero Deus non supponit in suis ministris ealem
idone-

idoneitatem, sed illam facit, eosque eligendo ad A
ministeria sui cultus simul dat potentiam ad illa
exercenda, per impressionem alicujus qualitatis
supernaturalis, quam characterem appellamus.
Sicut licet amicitia inter homines non ponat a-
liquod intersecum in personis quæ amantur, a-
mor tamen divinus formam aliquam, & qualita-
tem supernaturalem, nimirum gratiam sanctifi-
cantem, in anima producit, Unde D. Thomas 1.
parte quæst. 20. art. 2. dicit quod amor Dei est in-
fundens & creans bonitatem in rebus: cum enim non
sit amor affectivus, sed effectivus, non supponit,
sed ponit bonitatem quam diligit.

Obijciens secundò cum Scoto contra secun-
dam partem primæ conclusionis. Signum non
est ens absolutum, sed respectivum, dicit enim
relativè ad significatum: Sed juxta Concilia &
SS. Patres, character sacramentalis est signum,
ait enim Dionysius lib. de Ecclesiast. hierarchia
c. 20. quod character est signum communionis divi-
nitatis, & sacra ordinationis fidelium. Et Tridenti-
num sess. 7. can. 9. dicit characterem esse signum
quoddam spirituale, & indelebile: Ergo character
non est ens absolutum, sed respectivum, subin-
deque non ponitur in prædicamento qualitatis,
sed relationis.

Respondetur primò rationem constitutivam
signi esse relationem transcendentalem, vel ab-
strahere à transcendentali & prædicamentali;
nam quando habet omnes conditiones requisi-
tas, est prædicamentalis, si vero aliqua defici-
ant, est transcendentalis, ut docent Philosophi
in Logica.

Respondetur secundò, datà Majori, distingu-
endo Minorem: Character est signum fundamē-
taliter, sive materialiter, concedo Minorem.
Formaliter, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur solutio: Vox signi dupliciter accipi
potest, nimirum vel pro ipsa relatione signi, vel
pro forma & figura quæ alicui imprimitur ut ex
impositione signi ficit: quomodo in circumci-
sione circarix illa quam imprimebat, dicitur si-
gnum, & sigillum, & aliæ similes figure, signa
vocantur, licet in se sint res absolutæ. Ad hunc
ergo modum dicunt Concilia & SS. Patres, cha-
acterem esse signum, quia est forma realis ani-
mæ impressa quæ configatur intrinsicè, & ad
aliquos actus divini cultus intrinsicè deputatur.
Quæ configuratio & sigillatio, neque imprimi-
tur, neque remanet in anima, nisi præintelligatur
qualitas absoluta illi impressa, & ideo negatur
sola relationem sufficere ad omnia propter
quæ ponitur character.

Obijciens tertio contra secundam conclusio-
nem: Figura spiritualis est in quarta specie qua-
litatis: Sed character est figura spiritualis: Ergo
ponitur in quarta specie qualitatis. Minor est
certa, Major verò probatur. Habitus spiritualis
est in prima specie qualitatis, & potentia spiri-
tualis in secunda: Ergo pariter figura spiritualis
est in quarta.

Respondetur negando Majorem, figura enim
spiritualis (ut in probatione secundæ conclusio-
nis dicebamus) non est propriè talis, sed tantum
metaphoricè: res autem non ponitur in prædica-
mento ratione illius quod ei competit solum
per metaphoram. Ad probationem verò in con-
trarium dico, ideo in prima & secunda specie
qualitatis collocari non solum qualitates cor-
poreas sed etiam spirituales, quia definitiones
harum specierum ab Aristotele assignatæ, & ab

omnibus receptæ, univocè conveniunt qualita-
tibus spiritualibus & corporeis: at verò definitio
figuræ à Philosopho tradita convenire nequit rei
spirituali, dicit enim figuram esse terminum
quantitatis.

Dices, Ratio imaginis propriè repetitur in
corporalibus, & tamen etiam propriè repetiri
potest in spiritualibus, nam verbum mentis est
propriè imago rei intellectæ, unde in divinis
Verbum dicitur imago Patris: Ergo licet figura
propriè dicatur de quantitate, & rebus corpo-
reis, nihilominus potest etiam propriè dici de
rebus spiritualibus.

Respondetur concessio Antecedente, negando
consequentiam, & pariter: imago enim ex
sua ratione formali importat similitudinem de-
ductam seu expressam, quæ potest formaliter &
propriè esse in corporalibus & spiritualibus: fi-
gura verò essentialiter in suo conceptu & ratio-
ne formali dicit rationem termini: non est autè
intelligibile, quomodo accidens spirituale ter-
minet animam, aut aliquod aliud accidens in a-
nima existens: unde licet ratio imaginis propriè
dicatur de rebus corporalibus & spiritualibus,
ratio tamen figuræ, non propriè, sed metapho-
ricè tantum, de rebus spiritualibus dici potest.

Obijciens quartò contra tertiam conclusio-
nem: Si character haberet rationem potentie, se-
queretur ad aliquam essentiam seu naturam,
quia omnis potentia est principium proximum
operationis, quæ sequitur ad principium aliquod
radicale, quod est natura & essentia: Sed cha-
acter non consequitur aliquam essentiam: Ergo
non habet rationem potentie physicæ, sed solum
moralis. Minor patet, nam character non con-
sequitur aliquam essentiam naturalem, cum sit
qualitas supernaturalis, nec naturam supernatu-
ralem, scilicet gratiam, cum ab illa separari pos-
sit, & in peccatoribus repetiri: Ergo non sequi-
tur ad aliquam essentiam seu naturam.

Confirmatur: Idem character Ordinis in sim-
plici sacerdote non potest validè conferre sa-
cramentum Confirmationis, & tamen adjuncta
dispensatione Pontificis, id potest: Ergo non est
potentia physica ad efficiendos effectus sacra-
mentales; dispensatio enim Pontificis non con-
ferret potentiam physicam, sed duntaxat mora-
lem. Et simile est in collatione Ordinis Mino-
rum, quæ (ut multi existimant) potest à Ponti-
fice committi simplici sacerdoti, qui tamen ex se
non poterat validè illos conferre.

Ad objectionem dicendum, quod potentie
naturales, & quæ sunt simpliciter potentie,
consequuntur aliquam naturam, ut sunt illi prin-
cipium operandi: potentie autem instrumenta-
les, & quæ solum reductivè sunt potentie, non
oportet quod consequantur aliquam naturam,
sed derivantur à natura principalis agentis, in
quo invenitur principaliter talis potentia, & sic
character, cum sit potentia incompleta, & in-
strumentalis, non debet consequi ex aliqua es-
sentia, sed ab extrinseco nobis communicari, &
à sacerdote Christi, ac potestate excellentiæ,
quam ex vi gratiæ capitis habet supra totam Ec-
clesiam, derivari.

Ad confirmationem respondeo nō repugna-
re physicam potentiam sacramentalem pendere
quoad validitatem actus à conditione morali, pu-
ta commissione, sive collatione jurisdictionis:
sicut sacerdos per characterem sacerdotalem ha-
bet potentiam physicam instrumentalem ad pro-
ducen-

dacendam gratiam in anima peccatoris, per verba absolutionis, quæ instrumentaliter physice ad productionem gratiæ concurrunt, ut dispensatione precedenti ostendimus, & Suarez, aliq; ex Adversariis docent nobiscum; tamen ut physice instrumentaliter illam producat, dependet à conditione quadam morali, videlicet à collatione jurisdictionis. Si ergo hoc invenitur in ministro ordinario Pœnitentiæ, quid mirum quod inveniat in ministro extraordinario Confirmationis, aut minorum Ordinum; & quod character sacerdotalis ad exercendos actus illos hierarchicos, à commissione Summi Pontificis, tanquam à conditione dependeat?

61 Adde quod, effectus omnium sacramentorum, licet sint quid physicum (nimirum gratia, vel character) nihilominus ab aliquo morali pendent, quia sic instituit Christus, à cuius institutione sacramenta omnino pendent. Sic nisi oleum sit benedictum ac Episcopo, non potest confici sacramentum Extremæ Unionis, nec Confirmationis, & tamen benedictio illa nihil ponit in oleo; & similiter sacramentum Extremæ Unionis, licet sit quid physicum, non potest conferri potest, nisi homini extreme ægrotanti, quia conditio illa extreme ægrotantis, ex Autoris sacramentorum institutione, necessaria est. Et multæ etiam conditiones requiruntur inter contrahentes Matrimonium, sine quibus inhabiles sunt ad recipiendum hoc sacramentum. Nihil ergo mirum, si pariter character sacerdotalis, ut sacramentum Confirmationis, & minores Ordines conferre valeat, à commissione Summi Pontificis, ut à morali conditione dependeat.

62 Obijciens quinto: Potentia physica hominis constituit ipsum causam principalem suorum effectuum: Sed character sacramentalis non constituit hominem causam principalem illorū effectuum ad quos datur: Ergo non est potentia physica.

63 Respondeo distinguendo Majorem: Potentia physica hominis, ipsum constituit causam principalem, si sit potentia completa, concedo. Si incompleta, nego. Character verò sacramentalis, licet sit potentia physica, est tamen incompleta, quia indiget motione & applicatione Christi ut principalis agentis, unde non ponitur directe in specie qualitatis, sed solum reductivè, ut docet D. Thomas hic art. 2. in calce corporis articuli, ubi sic concludit: *Et ideo sicut virtus quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam suum & incompletum: ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reductus ad secundam speciem qualitatis.*

64 Obijciens sexto: Character est qualitas determinata ad bonum, non autem indifferens ad bonum & malum: Ergo non est cur rejiciatur à prima specie qualitatis. Consequentia patet, ratio enim cur D. Thomas rejicit characterem à prima specie qualitatis est, quia est indifferens ad bonum & malum. Antecedens verò probatur primò: Character determinatè inclinatur ad bonum, scilicet ad verum Dei cultum, per vera sacramenta exhibendum: Ergo est determinatus ad bonum, non verò indifferens ad bonum & malum.

65 Secundo, Character est qualitas supernaturalis, à Deo ut auctore gratiæ participata & derivata: Sed quid quid à Deo ut auctore supernaturali procedit, semper inclinatur ad bonum, subindeque non est indifferens ad bonum & malum:

A Ergo character est qualitas determinata ad bonum, non verò ad bonum & malum indifferens. Tertio, Character est participatio sacramentalis Christi, & potestatis ejus, ut docet D. Thomas hic art. 3. Sed Christi sacerdotium & potestas determinata ad bonum, non verò indifferens ad bonum & malum: Ergo & character.

Quarto, Character est potestas instrumentalis quæ agit ut mora à Christo, ut à causa principali: Ergo si indifferenter se habet ad bonum & malum, reducenda erit illa indifferencia in actionem Christi per quam agit, & si malum operatur, id reductur ad Christum ut principalem moventem, quod est absurdum.

Denique, Ut aliqua qualitas dicatur ex institutione principum boni actus determinatè, licet quod sit determinata, ad bene operandum in propria materia, licet in aliogenere (videlicet in genere morali) non sit determinata ab homine, sicut patet in habitibus intellectibus, qui sunt determinati ab homine in propria materia (ars & scientia) licet in genere morali bene & male se habere possint: Sed character in propria materia (scilicet in cultu vero Dei per sacramenta exhibendo) determinatus est, cum enim in intellectu subijciatur, est ita determinatus sua ratione ad verum, ut ejus actus non sit alius quam verè recipere vel tradere sacramenta, aut verè protestari fidem coram tyranno: Ergo etc.

Respondeo negando Antecedens, & subijciendam ejus probationem, distinguo Antecedens: Character inclinatur determinatè ad bonum, scilicet ad verum Dei cultum, quasi obijciat, sed ex parte obijci, concedo Antecedens. Subijciat verò, si ex parte subijci, nego Antecedens, & Consequentiam. Non enim est differentia inter habitum & potentiam, quod habitus inclinatur ad bonum obiectum, potentia verò respiciat obiectum quod indifferenter se habeat ad bonum & malitiam; omnis enim potentia debet habere pro obiecto aliquod ens, & consequenter aliquod bonum, sicut visus est determinatus ad aliquod bonum, scilicet ad coloratum, quod est bonum quoddam: sed differunt, quia habitus respicit bonum aut malum determinatè, etiam ex parte subijci, nam bonum facit habitum, & importat rationem convenientis aut disconvenientis ad ipsum subiectum; potentia verò dicitur indifferens ex parte subijci, quia illud non determinat secundum rationem boni vel mali, convenientis aut disconvenientis: antecedit character sit qualitas determinata ad bonum obiectum, scilicet ad verum Dei cultum; quia tamen non determinat secundum convenientiam vel disconvenientiam subijci, sed solum illud indifferens, ut bene vel male eo utatur, non est habitus, sed potentia.

Ad secundam, concessa Majori, distinguo Minorem: quidquid à Deo ut auctore supernaturali procedit, inclinatur ad bonum, obijciat, concedo; subijciat verò semper, nego; licet enim semper inclinatur ad bonum obiectum, non tamen semper determinatur ad faciendum bonum subiectum, ut patet in dono prophetiæ: prophetia enim est donum Dei auctoris supernaturalis, & ab ipso ut auctore gratiæ promittitur, & tamen datur alicui peccanti mortaliter, ut constat de Balaam, Caipha, & Sybillis.

Ad tertiam dicendum characterem esse imperpetuum, scilicet tantum potestatis Christi participatum.

nem, ac proinde inclinare quidem, sed non de-
terminare potentiam ad operandum bene mora-
liter. Adde quod, est participatio potestatis Chri-
sti per modum potentiae, & non per modum ha-
bitus, unde non datur ad hoc ut subiectum faciat
bonum, sed ut verum Dei cultum exerceat.

Ad quartam, concessio Antecedente, nego
consequentiam; licet enim character sit potestas
instrumentalis, quae non agit nisi ut mota à Chri-
sto, ut a causa principali; quia tamen quantum
ad modum operandi subordinatur arbitrio ope-
rantis, si Sacerdos eo male utatur, & consecret
verbigrati ad conficiendum forilegium ex ho-
stia consecrata, sacilegium illud non reducit in
Christum ut principaliter operantem, sed in ma-
litiarum ministrum, potestate illa instrumentali sibi à
Christo concessa abutentis. Sicut licet mens
Propheta à Spiritu Sancto ut instrumentum ab
artifice moveatur, ut docet S. Thomas 2.2. quaest.
173. art. 4. nihilominus quando peccat propheta-
ndo, ut accidit in Caypha, qui gravissime pec-
cavit, dum dixit: *Expedi vobis, ut unus moriatur ho-
mo pro populo & non tota gens pereat* tale pecca-
tum in Spiritum Sanctum ut in causam principa-
lem non reducit, sed in ipsum Prophetam, do-
cto Prophetiae abutentem, & ex mala intentione
verba à Spiritu Sancto inspirata proferentem.

Ad ultimam nego Minorem, character enim,
etiam in propria materia, retinet indifferentiam,
subindeque non est habitus, sed potentia. Ad pro-
bationem in contrarium dico, characterem non
esse in intellectu speculativo, sed practico, ac
proinde proprium eius obiectum non esse verum
speculativum, sed verum practicum, & materiam
eius propriam esse practice se habere ad cultum
religiosum; unde cum in materia religionis in-
differenter se habeat, & indifferens sit ad religiosè
vel irreligiosè suscipiendum aut ministrandum
sacramentum, in propria materia indifferenter se
habet.

Obijcies septimò: Si character esset potentia
dum simpliciter posse agere, deberet reperiri in
Christo, cum ipsi data sit omnis potestas in caelo
& in terra, ut dicitur Matth. ultimo: Sed cha-
racter non est in Christo, ut communiter docent
Theologi: Ergo non est potentia.

Respondeo negando sequelam Majoris, licet
enim character sit spiritualis potestas, quia ta-
men est diminuta, & ab alio participata, non de-
bet esse in Christo, sed aliquid excellentius, nimi-
rum tota potestatis plenitudo, & sacerdotum
sempiternum & supremum. Præterquam quod,
notari characterem est proprium ovium, servo-
rum, militum, ac membrorum: Christus autem,
etiam ut homo, est Pastor, Dominus, Dux, &
Caput: Ergo characterem insigniri non debet, sed
Christiani, utpote eius oves, servi, milites, ac
membra, per characterem ipsi configurari de-
bent.

Ex quo intelliges, quod quando S. Thomas hic
art. 3. docet characterem sacramentalem esse cha-
racterem Christi, non sic debet intelligi, quod
character sacramentalis qui est in nobis, sit eius-
dem rationis cum aliquo characterem in Christo
existente, sed quod character sacramentalis con-
signat Christo, tanquam Summo Sacerdoti, quia
cum per characterem deputentur fideles ad cul-
tum religionis divinae, omnis autem religio penes
Sacerdotem Summum resideat, character sacra-
mentalibus quo in Ecclesia militante ad Dei cultum

Tom. V.

homines deputantur à Christo tanquam à Sum-
mo Sacerdote, debet fideles Christo tanquam
Summo Sacerdoti specialiter consignare.

Ex quo rursus sequitur, characterem ad tria
potissimum dari. Primo ut nos reddat aptos in
Religione Christiana ad cultum divinum, pro-
pter quod definitur potest: *Potentia spiritualis ad
divina suscipienda, vel agenda*. Secundo, ad
configurandum nos Christo, tanquam ministros
Summo Sacerdoti, cuius potestatem excellentiae
per characterem participamus. Tertio, ad dif-
cernendum fideles ab infidelibus, & membra Ec-
clesiae ab his qui sunt extra illam, quod est pro-
prium characteris Baptismalis; vel etiam fideles
qui sunt milites Christi ex officio, ab aliis fide-
libus, qui nondum sunt ad ejus militiam ex officio
assumpti, quod est proprium characteris Con-
firmationis; vel etiam ordinatos à non ordinatis
tanquam Rectores in sublimiori statu existen-
tes, à subditis & inferioribus, quod est proprium
characteris Ordinis.

§. III.

Solvuntur argumenta Suaris.

Prima proponit argumenta Suarez, ut osten-
dat characterem sacramentalem non esse po-
tentiam physicam, sed ea ad tria capita reduci
possunt, juxta numerum sacramentorum quae im-
primunt characterem.

In primis ergo de characterem Baptismi sic ar-
guit. Character baptismatis neque est potentia
activa, neque passiva. Ergo non ponitur in spe-
cie potentiae, sed habitus. Consequentia patet
Antecedens etiam, quoad primam partem, evi-
dens est, nam in Baptismo nullam acquirimus
potestatem ad agendum. Probatur verò quan-
tum ad secundam. Potentia passiva dicitur talis
per ordinem ad actum quem in se recipit: Sed ni-
hil excogitari potest, quod in characterem Baptis-
mi recipiatur: Ergo ille potentia passiva dici ne-
quit. Maior videtur manifesta, Minor vero pro-
batur, discurrendo per singula quae excogitari
possunt. In primis enim character Baptismi non
est potentia ad recipiendam alia sacramenta, nam
illa, cum sint quid sensibile, & sensibile, actione
perficiantur, recipiuntur in corpore: character
vero Baptismi, cum sit quid spirituale, non reci-
piatur in corpore, sed in anima, vel potius in ali-
qua ex ejus potentiis; nimirum in intellectu pra-
ctico, ut infra dicemus. Deinde character baptis-
malis non est potentia ad recipiendam gratiam,
cum Cathecumenus per contritionem possit re-
cipere eandem entitatem gratiae, quam recipit
Baptizatus. Item character Baptismi non est
potentia passiva ad recipiendos alios characteres:
nam quod characteres Confirmationis & Ordinis
non imprimantur nisi habenti characterem Bap-
tismi, oritur solum ex ordinatione divina, non
verò ex defectu alicuius potentiae receptivae, sicut
enim anima est immediate capax characteris bap-
tismalis, & ita aliorum.

Respondeo Primo negando Antecedens, ad cu-
jus probationem, dico illud principium cui inni-
titur tota Suaris ratio: *de ratione poten-
tiae passivae est quod in se recipiat formam vel
actum ad quem ordinatur, non esse universaliter
verum; sufficit enim ad rationem potentiae passi-
vae, quod reddat subiectum capax receptionis a-
licuius formae vel actus: gravitas enim in terra, est
potentia passiva ad motum deorsum, ut docet D.*

L

Tho

Thomas 5. Metaphysicæ lect. 14. in principio, & tamen non recipit motum illum in seipsa, sed solum terram capacem reddit ad illum recipiendum. Item mollities, quam ad secundam speciem qualitatis pertinere dicit Aristoteles in prædicamentis, capite de qualitate, in cera est potentia passiva ad recipiendam figuram sigilli, & tamen illam in seipsa non recipit, sed ceram capacem facit ad eam recipiendam. Similiter ergo character baptismalis, licet in se proprie non recipiat illa sacramenta, aut alios characteres, eo ipso tamen, quod hominem disponat ad illorum receptionem, habet sufficienter quod requiritur ad rationem potentie physice passivæ.

Dices cum Vazque, ex hac doctrina & solutione sequi quantitates esse potentiam passivam respectu accidentium, cum sit ratio cur illa recipiantur in toto composito.

80 Sed negatur sequela, quia ad rationem potentie, sive activæ, sive passivæ, requiritur quod pertineat ad prædicamentum qualitatis, cum potentia sit secunda ejus species: unde licet quantitas sit ratio cur accidentia corporea recipiantur in toto composito, & ad illorum receptionem disponat, potentia tamen passiva proprie dici nequit.

81 Respondeo secundo, dato & non concessio principio illo, cui Suarez discursus innititur, negando Minorem, & ad ejus probationem dico, characterem Baptismi esse potentiam passivam ad recipienda alia sacramenta. Ad probationem vero in contrarium dicendum est, quod licet sacramenta recipiantur in corpore quasi naturaliter, seu ut entitates corporeæ, medio tamen e characterem Baptismi, in illo recipiuntur sacramentaliter, seu ut actiones sacramentales sunt: nam sicut ad operandum sacramenta, non solum in quantum actiones naturales sunt, verbi gratia ablutionem, aut unctionem, sed etiam in quantum sacramentales, & productivæ gratiæ indiget homo potentia quadam activâ physica; ita & ut recipiat in se sacramenta, sacramentaliter, seu ut validæ actiones sacramentales sunt, requiritur character Baptismi; constat enim quod si detur Confirmatio, vel Ordo, homini non Baptizato, non fit sacramentum, nec sacramentaliter in eo recipitur, sed idem est, ac si lapidi vel bruto conferatur.

82 Ad id quod subditur de gratia, respondent aliqui Recentiores, quod licet Cathecumenus possit recipere eandem entitatem gratiæ quam recipit ille qui baptizatur, non tamen ut sacramentalem, sive ut conjunctam cum specialibus auxiliis ad quæ jus habet ille qui suscipit sacramentum Baptismi.

Sed hæc solutio displicet, quia ut disputatione præcedenti art. 6. versus finem dicebamus, licet extra sacramenta non conferatur character, potest tamen extra illa gratia sacramentalis dari, & credibile est multis fuisse collatam, per solum votum Baptismi, eandem gratiam sacramentalem, quam solet Baptismus conferre. Unde

83 Melius respondetur, characterem baptismalem non esse quidem potentiam passivam in ordine ad gratiam sacramentalem, ob rationem insinuatam, bene tamen in ordine ad characteres Confirmationis & Ordinis; quia illi non recipiuntur in anima, vel in intellectu practico, nisi medio characterem Baptismi: licet enim anima sit capax absolute omnium characterum secundum ordinariam tamen & suam De

A ordinationem, recipiuntur medio baptismali, cui ex natura sua proportionantur; licet tamen in substantia, hoc tamen non tollit quod quantitas sit immediatum eius susceptivum. Unde patet disparitas inter characterem Baptismi, & alios characteres, & ratio cur anima sit capax præcisè capax recipiendi characterem baptismalem, non vero alios; character enim baptismalis est ex natura sua dispositio ad receptionem aliorum: ad recipiendam autem dispositionem non requiritur alia dispositio alioquin daretur processus in infinitum.

Dices cum Suarez, quod character Baptismi præsupponi debeat ad characteres Confirmationis & Ordinis, provent solum ex institutione Christi: Ergo non est potentia physica, sed tantum moralis, ad recipiendum huiusmodi characteres.

Sed nego Consequentiam: Sacramenta enim novæ legis virtutem habent gratiæ productivæ solum ex institutione Christi, & tamen sunt etiam in doctrina Suarez, instrumenta physice gratiæ efficientia; quidni ergo pariter character Baptismi poterit esse potentia physica ad recipiendum characteres Confirmationis & Ordinis, tametsi solum ex institutione & ordinatione Christi, præsupponi debeat ad characteres Confirmationis & Ordinis?

C Secundo principaliter arguit Suarez: Character Confirmationis neque est potentia activa, neque passiva: Ergo non ponitur in specie potentie, sed habitus. Consequentia patet, Amen. Dens probatur. Si character Confirmationis est potentia passiva, maxime respectu characteris Ordinis, activa vero ad propugnandam fidei fidem: Sed hoc dici nequit: Ergo &c. Minor probatur, quia character Confirmationis non est simpliciter necessarius ad recipiendum characterem Ordinis, sed solum ad congruentius recipiendum: similiter non est simpliciter necessarius ad propugnandam fidem, sed solum ad fortius propugnandam: Ergo character Confirmationis non est potentia passiva, & actus respectu illorum. Consequentia probatur, quia potentia non datur tantum ad faciendum sed ad simpliciter operandum, vel recipiendum, in quo distinguitur ab habitu.

D Respondeo primo, characterem Confirmationis posse dici potentiam passivam in ordine ad ipsa alia illa auxilia quæ ad fidem tuendam homini medio characterem, à Deo conferuntur; actus vero, ut homo per characterem possit prædicare fidem ex officio, tanquam miles Christi, ad quod non sufficit extrinseca deputatio, ut in humanis, ob divinam scilicet institutionem, & excellentiam status supernaturalis, nec non ob differentiam quæ reperitur inter electionem, & reprobationem Dei, & hominum ad aliquod officium, quam §. præcedenti in solutione primæ objectionis declaravimus.

E Respondeo secundo, negando Antecedentem probationem, nego Minorem, ad cuius impugnationem, dato Antecedente, nego Consequentiam; differentia enim essentialis inter habitum & potentiam, non est illa quæ in argumento à Suarez adducitur, sed illa quam nos supra assignavimus, nimirum quod habitus datur ad operandum vel recipiendum determinatè bene vel male, potentia vero ad operandum vel recipiendum determinatè bene vel male: unde si quis habet

supernaturales non dant facilius tantum, sed simpliciter posse, ita non erit inconueniens, quod potentia aliqua supernaturalis detur ad facilius tantum operandum vel recipiendum, dummodo ordinetur ad operandum vel recipiendum, abstrahendo à bene vel malè, quod cum characteri Confirmationis conueniat, vera potentia actiua vel passiva dicendus est.

Adde quod, ad propagandam fidem sub ratione indifferentis, abstrahendo à bene vel malè moraliter, character Confirmationis est simpliciter necessarius, cum fides, religio, fortitudo, & alie virtutes morales respiciant actus ad propagandam fidem necessarios ut habent bonitatem moralem intra proprium obiectum, atque adeò determinatè sub ratione boni, nullus enim potest uti virtute ad malè operandum, juxta illud Augustini libro 2. de libro arbitrio cap. 18. *Virtus est bona qualitas mentis qua nemo male utitur.*

Tertiò obijcit Suarez: Character Ordinis neque est potentia passiva, neque actiua: Ergo nullo modo habet rationem potentie. Consequentia patet, Antecedens verò quoad primam partem est D. Thomæ, & Discipulorum eius, qui docent characterem Ordinis potentiam passivam non esse, cum non detur ad recipiendum, sed ad agendum. Probat verò quantum ad secundam. Si character Ordinis esset potentia actiua, vel id ei conueniret, respectu aliorum sacramentorum vel respectu gratie quæ per sacramenta efficitur, vel respectu transubstantiationis in Eucharistia? Sed respectu nullius ex his tribus est actiua potentia: Ergo ratio potentie actiue ei non conuenit. Major patet ex sufficienti enumeratione, Minor vero quo ad singulas partes suadet. Et in primis quod character Ordinis non sit potentia actiua respectu aliorum sacramentorum, manifestum videtur, tum quia character Ordinis in sex inferioribus Ordinibus usque ad Diaconatum, nullum sacramentum conficit. Tum etiam, quia sacramenta materialiter sumpta non efficiuntur à characterè spirituali, sed à membris externis: quantum verò ad esse formale solum addunt supra actionem sensibilem, significationem, seu rationem signi, quæ est relatio rationis, cum sacramenta sint signa ad placitum. Quod verò non sit potentia actiua ad producendam gratiam, non minus videtur certum, tum quia Sacerdos non causat gratiam, per characterem, sed per sacramentum quod ministrat, unde etiam non Sacerdos, imò non baptizatus, potest causare gratiam per sacramentum Baptismi. Tum etiam, quia est character sacerdotalis possit eleuari à Deo ad producendam gratiam, & sit in potentia obedienciali ad talem elevationem, hoc tamen non sufficit ut sit potentia actiua ad producendam gratiam; alioquin cum cuilibet enti creato in sit potentia obediencialis ad similem elevationem, quælibet creatura posset sibi habere potentiam actiuam, vel esse potentiam actiuam respectu gratie. Denique quod character sacerdotalis non sit potentia actiua respectu transubstantiationis, probatur ex eo quod non videtur possibilis aliqua qualitas effectiua transubstantiationis panis in corpus Christi, præsertim si qualitas illa sit permanens; ut est character, nam ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. repugnat dari aliquam qualitatem permanentem, patrativam miraculorum, ut est conversio panis in corpus Christi.

Tom. V.

A sti, quæ non solum miraculosa est, sed etiam miraculorum miraculum, appellatur.

Respondeo negando Antecedens, quoad utramque partem: ad probationem contra primam, dicendum est, D. Thomam non loqui de characterè Ordinis ut sic, sed tantum de characterè Ordinis, qui est principale, analogatum, scilicet de characterè sacerdotali, qui solus potest esse potentia pure actiua, alij verò sunt potentie passivæ respectu characterum superiorum Ordinum, & actiue respectu priorum actuum, nam actus ministrandi solemniter ex officio ad altare, ab eo procedunt; sicut actus profitendi fidem ex officio, tanquam miles Christi, à characterè Confirmationis, sive illo mediante, elicitur, ut supra dicebamus.

Ad illud quod dicitur de characterè sacerdotali, respondeo illum esse potentiam actiuam respectu illorum trium quæ in argumento recensentur, nimirum respectu sacramentorum, respectu gratie, & respectu transubstantiationis, unde nego Minorem, quantum ad singulas partes, Ad probationem verò primæ partis dicendum est, quod licet character sacerdotalis sit qualitas spiritalis, potest tamen tanquam instrumentum divinæ virtutis concurrere ad actiones illas sensibiles & corporeas in quibus sacramenta de materiali consistunt, non minus quam res materiales, ut Dei instrumenta, possunt efficere res spirituales. præterquam quod huiusmodi actiones licet sensibiles & corporeæ sint, non procedunt tamen à characterè formaliter ut tales sed secundum quod sacramentales sunt, & productivæ gratie, vel characteris, quod est aliquid reale & excellentissimum in operationibus illis.

Ad probationem secundæ partis dicendum est, quod licet Sacerdos per sacramentum quod ministrat, gratiam causet, illam tamen causat per characterem, tanquam per virtutem & potentiam instrumentalem, quæ ab autore gratie instituta est ad producendam gratiam; unde characteri debita est elevatio instrumentalis ad talem effectum producendum? per quod differt à cæteris rebus quæ obediencialiter elevari possunt; cum enim alie res institutæ non sint ad causandam gratiam, nulla creatura facit sibi debitam talem elevationem, ita ut quis possit ad voluntatem habere illam; per characterem autem ita facit quis sibi debitam & quasi connaturalem elevationem illam, ut quando voluerit possit illa uti. Quare habens characterem ad producendam gratiam, habet se sicut calamus præparatus, qui est instrumentum proportionatū & connaturale scribendi; alie autem res quæ elevari possunt à Deo ad causandam gratiam, habent se sicut calamus non præparatus ad scribendum, vel sicut aliquid aliud ad id non proportionatum, ut recte annotavit Joannes à S. Thoma hic art. 2. in dubio 2. in solutione argumentorum.

Quod diximus de productione gratie sacramentalis, de transubstantiatione dicendum est, nullum enim est inconueniens, qualitatem aliquam supernaturalem, qualis est character, esse ex natura sua virtutem instrumentalem in ordine ad illam mirabilem conversionem panis in corpus Christi, sicut in ordine ad productionem gratie. Unde quando S. Thomas asserit nullam posse dari qualitatem permanentem, patrativam miraculorum, loquitur

L ij loqui-

loquitur de virtute permanente completa, non vero de incompleta, qualis est character sacerdotalis, qui idcirco ad convertendum panem in corpus Christi, & producendam gratiam in anima poenitentis, per verba absolutionis, indiget non solum concursu Dei communi & ordinario, sed etiam speciali & extraordinario, seu motione pravia Dei ut authoris supernaturalis, qua compleatur & reddatur proportionatus & potens ad effectus illos mirabiles producendos. Per quod patet ad probationem tertiae partis Minoris principalis.

ARTICVLVS III.

Quodnam sit subiectum proximum & immediatum characteris sacramentalis, an ipsa substantia animae vel aliqua ex eius potentiis, & quae

24. Certum est ipsam animae substantiam esse subiectum saltem radicale, medium, remotum, & quod characteris sacramentalis. Primo, quia in Concilio Florentino & Tridentino, characterem imprimi animae definitum est. Secundo, quia character est signum spirituale, ut statuit etiam Tridentinum, atque adeo subiectum per se spirituale. Tertiò, quia cum post mortem perseveret indelebiter, non in composito hominis corruptibili, sed in anima immortalis, tanquam in subiecto quod recipiatur necesse est. Solum ergo difficultas est & controversia inter Theologos, quodnam sit subiectum immediatum, proximum, formale, & quo characteris, an ipsa animae essentia, vel voluntas, aut intellectus; Primum asserunt Suarez, Vazquez, Bellarminus, & alij, qui characterem esse in prima specie qualitatis existimant. Secundum affirmatur à Scoto, & eius sectatoribus. Tertium docetur à D. Thoma, & eius discipulis, quos sequuntur Valentia, Henriquez, Granado, Sayrus, & plures alij, propter quod ait Meratius, Divi Thomae sententiam in hac parte, eò saltem cæteris praeferre, quod insigniores habeant patronos, & sectatores.

Mitto sententiam Alensis & D. Bonaventurae existimantium characterem residere simul in intellectu & voluntate, licet præcipue sit in intellectu: supposita enim distinctione reali utriusque potentiae, tum inter se, tum ab anima, opinio illa ex eo statim rejicienda apparet, quod unum numero accidenti distincta numero subiecta non possint absque implicancia concedi, quia, ut docetur in Metaphysica, accidens à subiecto cui inest, suam individuationem & unitatem numericam desumit. Unde D. Thomas in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 3. *Nallum accidens potest esse in pluribus potentiis, quia accidens numeratur & distinguitur penes materiam & distinctionem subiecti.* Hoc præmissis, pro resolutione difficultatis propositae, sit

§. I.

Duplici conclusione proposita difficultas resolvitur.

Dico primò, characterem non esse immediate in essentia animae, sed in aliqua ex eius potentiis. Ita D. Thomas hic art. 4. ubi sic concludit: *Character non est sicut in subiecto in essentia animae, sed in eius potentia.*

A Ratio etiam quam ibidem insinuat, id facit. Subiectum enim immediatum qualitatis quæ proximè ordinatur ad operationem, debet esse potentia immediatè operativa: Sed character sacramentalis immediatè ordinatur ad operationem, nempe ad divinum cultum, qui in actionibus consistit, ipsa verò essentia animae non est immediatè operativa: Ergo subiectum immediatum characteris, non est essentia animae, sed aliqua ex eius potentiis.

Hæc ratio solum probat characteres Confirmationis, & Ordinis, qui sunt potentie activæ ut articulo præcedenti ostendimus, non requirunt immediatè in essentia animae, utpote immediatè non operativa. Verum cum character Baptismi sit potentia passiva in se recipiens characterem Confirmationis & Ordinis, si illi non subiectatur immediatè in essentia animae, nec illi in eam immediatè recipi poterit.

Dico secundo, subiectum proximum & immediatum characteris, non est voluntas, sed intellectus practicus. Ita D. Thomas hic art. 4. citato in solut. ad 3. ubi sic ait: *Oportet quod character sit in cognoscitiva potentia animae, in qua est intellectus practicus.* Quibus verbis rationem fundamentalem recte conclusionis insinuat: Cum enim character per se primò ordinetur ad actus divini cultus, quibus fit professio fidei, debet habere pro subiecto immediatè illam potentiam, in qua immediatè subiectatur habitus fidei: Sed habitus fidei immediatè subiectatur in intellectu: Ergo & character.

Confirmatur: Sicut fides est radix totius edificij spiritualis, ita etiam character est fundamentum omnium actionum & passionum hierarchicarum, quæ sunt tradere divina & recipere: Ergo debet constitui in eodem subiecto in quo est fides.

Probatur secundo conclusio ex D. Dionysio cap. 2. de Ecclesiastica hierarchia, ubi ait characterem esse *Lumen divinum illuminans nos, & figurans Christo*: At lumen & configuratio non pertinent, saltem immediatè, ad voluntatem, sed ad intellectum; lumen quidem, quia voluntas est potentia cæca; configuratio vero, quia figura seu imago Dei, cui nos configuratur character, est in intellectu, & non in voluntate, nulli ratione intellectus, & ex consequenti; propter quod Filius Dei, qui in divinis per intellectum procedit, vocatur figura substantiæ Patris: Ergo character est in intellectu, non vero in voluntate.

E Probatur tertiò: Qualitas quarum subiectum immediatum est voluntas, per se determinat ad bonum vel malum morale, ita ut non possit voluntas eis uti indifferenter ad bonum vel malum morale: At character non determinat per se ad bonum vel malum morale, sed relinquit indifferentem voluntatem ad ipso utendum ad bonum vel malum morale, ut patet ex dictis articulo præcedenti. Ergo non subiectatur immediatè in voluntate, sed in intellectu.

Denique suaderi potest conclusio ratione fundamentali. Illa potentia in homine debet esse subiectum immediatum characteris sacramentalis, quæ suo actu, ut elevato per characterem, debet alias potentias movere & dirigere ad actiones vel passiones pertinentes ad cultum Dei: Sed intellectus practicus est talis potentia, utpote quæ per actum imperij sibi proprium debet movere & dirigere alias omnes facultates ad opus: Ergo intel-

lectus practicus immediatum subjectum characteris sacramentalis esse debet. Minor fusc probata fuit in Tractu de actibus humanis, agendo de actu imperii. Major verò sic ostenditur. Illa potentia debet immediate recipere characterem sacramentalem, quæ debet immediate operari in ordine ad cultum divinum; ad hoc enim præcipue imprimatur character, ut per ipsum eleventur potentie hominis ad talem cultum: Sed potentia immediate operativa circa cultum divinum, illa est quæ suo actu ut elevato per characterem alias omnes movet & applicat ad actiones & passiones pertinentes ad cultum divinum: Ergo potentia quæ actu suo ut elevato per characterem, alias omnes movet & applicat ad actiones & passiones ad cultum Dei pertinentes, immediatum subjectum characteris esse debet. Itaque character Baptismi subjectatur immediate in intellectu practico, quia ipsum debet elevare, dando efficaciam imperio ejus ad dirigendas & movendas ceteras potentias hominis, in ordine ad receptionem validam aliorum sacramentorum. Character Confirmationis debet similiter pro suo subjecto immediato habere eundem intellectum, quia elevat illum dando vigorem actui imperii ipsius, ad inferendam mediis aliis potentiis actionem ex officio protestativam fidei contra hostes Christi. Denique character Ordinis idem pariter in intellectu practico immediate residet, quia tribuit actui imperii ipsius efficaciam ad conficiendum valide & ex officio, mediantibus aliis potentiis, alia sacramenta, & convertendum substantiam panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò cum Suarez: Character cum sit signum manifestans hominem esse deputatum ad aliquod munus, debet poni in parte notiori: Sed anima notior est intellectu & voluntate, cum sit prior illis: Ergo character residet in anima, non verò in aliqua ex ejus potentiis.

Respondeo hoc argumentum undequaque nutare, & rimas agere, nam Major non est absolute & universaliter vera, non enim signa distinctiva semper sunt in parte patentiori, ut signa Ducum, vel Militum, non in capite, sed in pectore poni solent. Minor etiam equivocationem patitur, nam licet essentia animæ sit notior quoad se ejus potentiis, istæ tamen quoad nos notiores sunt, ratione suarum operationum: character autem, ex eo quod signum manifestativum est, debet poni in eo quod est nobis notius, ut nobis designet. Demum Consequentia nulla est, quia character non solum ponitur in homine ut signum designificatum illius, sed etiam ut vera potentia instrumentalitatis, atque adeò subjectum ejus immediatum non potest esse essentia animæ, quæ non est immediate operativa, sed solum aliqua ex ejus potentiis, quæ immediate activæ sunt. Sicut enim id quod habet rationem naturæ supernaturalis in homine, scilicet gratia, subjectatur immediate in natura seu substantia animæ; ita quod habet rationem potentie supernaturalis, debet subjectari immediate in potentia naturali, ut observat S. Doctor in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 3. quæstionc. 1. ubi sic discurrit: *Natura proportionatè spiritualitati subternitur, sicut personæ perfectioni. Unde sicut gratia quæ est spiritualis principium, est in essentia animæ, sicut in*

A subjecto; ita & character, qui est spiritualis potentia, est sicut in subjecto in naturali potentia animæ.

Dices, Potentie naturales recipiuntur immediate in anima: Ergo & supernaturales, quibus character annumeratur.

Respondeo cum D. Thomæ in art. 4. ad 2. negando consequentiam, & paritatem, Tum quia potentie naturales non præsupponunt aliam potentiam, sed dimanant ab ipsa anima, tanquam propriæ ipsius virtutes. Tum etiam, quia potentie naturales non elevent suum subjectum ad operandum, subindeque non debent præsupponere ipsum esse proximè activum, cujus oppositum competit potentie supernaturali.

Objicies secundò: Idem est subjectum immediatum formæ, & dispositionis ad illam: Sed gratia est forma ad quam character se habet ut dispositio, sicut docet D. Thomas in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. ad 5. ubi ait, *quod character est dispositio ad gratiam, per quandam congruitatis dignitatem*: Ergo sicut substantia animæ, est subjectum immediatum gratiæ, ita & characteris.

Respondeo primò negando Majorem universaliter sumptam, nam ut ait D. Thomas 1.2. quæst. 74. art. 4. ad 3. *Bonus imaginatio est dispositio ad scientiam, quæ est in intellectu, & veniale peccatum quod est in sensualitate, potest esse dispositio ad peccatum mortale, quod est in ratione*. Item contritio quæ est in voluntate, est dispositio etiam ultima ad gratiam justificantem, quæ residet in essentia animæ. Quamvis ergo character physicè disponeret ad gratiam, non propterea deberet collocari in essentia animæ. Unde idem S. Doctor in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 3. quæstionc. 1. ad 1. *Dispositionem* (inquit) *esse in eodem subjecto cum eo ad quod disponit, non est necesse nisi quando dispositio postea sit perfectio; sicut scientia quæ prius fuit dispositio, postea sit habitus, & ideo scientia dispositio & scientia habitus sunt in eodem subjecto proximo. Non autem hoc oportet, quando dispositio & perfectio differunt per essentiam, sed possunt esse in diversis subjectis; & præcise quando illa diversa habent ordinem ad invicem; sicut operatio sensibilis est dispositio ad intelligibilem operationem, & similiter character est dispositio ad gratiam.*

Respondeo secundò negando Minorem, character enim non præcedit ut physica dispositio gratiam significantem, nam physicè nullus est ordo causalitatis inter has duas qualitates, nec ex natura sua una ab alia pendet, manet enim character sine gratia, & gratia optimo & connaturali modo esse potest sine character, ut constat in illo qui per actum contritionis, sine reali susceptione Baptismi, ultimo disponitur ad gratiam. Unde quando S. Thomas ait, characterem esse dispositionem ad gratiam, non loquitur de dispositione physica & ex natura rei, sed de dispositione morali & congruitatis; cum enim usus characteris sit Deum colere, & hoc dignè & religiosè fieri non possit sine gratia, congruum est, ut Deus qui dat characterem, det & consequenti etiam gratiam, ad hoc ut cultus divinus qui per characterem exercetur, fiat religiosè.

Objicies tertio: Character non est principium alicuius operationis: Ergo non est in aliqua potentia animæ, sed in ejus essentia. Consequentia patet ex supra dictis, Antecedens etiam manifestum videtur: cantare enim Evangelium v.g. aut absolvere à peccatis, vel ministrare sacramenta, aut fidem coram tyranno profiteri, non sunt actus

elicitū à charactere, sed à fide, vel religione, & potentiis exterioribus.

108. Respondeo negando Antecedens, ut enim in ultima probatione secundæ conclusionis ostensum est, character est principium actus intellectus, scilicet imperii, quo præcipit aliis potentiis, ut aliquos actus eliciant, putà character Diaconi, ut cantetur Evangelium, character Sacerdotalis, ut verba absolutionis & consecrationis proferantur, & eliciatur intentio necessaria ad valorem sacramenti; qui actus licet ab aliis facultatibus ab intellectu distinctis elicitive procedant, imperativè tamen oriuntur ab intellectu, ut informato characterè, ut actiones illas dirigente: sicut quamvis actus alicujus artis, putà futuriæ, à membris externis producantur, diriguntur tamen ab intellectu, ut informato tali habitu.

109. Objicies quartò contra secundam conclusionem: Cum character sacramentalis per se ordinetur ad exhibendum cultum Deo, in ea potentia immediate subjectari debet, ad quam pertinet exhibitio talis cultus: Sed exhibitio cultus divini, pertinet ad voluntatem, in ea enim residet virtus religionis, quæ divinum cultum: habet pro suo objecto: Ergo in voluntate, non verò in intellectu, character existit.

110. Respondeo distinguendo Majorem: in ea potentia subjectari debet immediate character, ad quam pertinet exhibere cultum Deo, abstrahendo ab hoc quod exhibitio talis cultus bene vel male fiat, concedo Majorem, Ad quam pertinet exhibere cultum Deo bene & religiosè, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: ad voluntatem pertinet exhibere cultum Deo, secundum quod bene religiosè debet fieri, concedo Majorem: Absolutè & abstrahendo ab hoc quod bene vel male fiat, nego Minorem, & Consequentiam sic enim sumptus divinus cultus, non pertinet ad virtutem religionis, sed ad virtutem fidei in intellectu residentem, & ad characterem, ut dirigentem habitum fidei, & imperantem actiones illas quibus Dei cultus perficitur.

Ex dictis inferes primò, characterem sacramentalem idcirco à Dionysio supra citato appellari lumen spirituale, quia intellectus practicus, mediante suo imperio, ut per characterem elevato, dirigit ceteras potentias ad exercitium cultus divini. Dicitur etiam potestas, quia tribuit potestatem aliquid efficiendi vel recipiendi. Item vocatur signum, seu sigillum, quia sicut ludeus à Rege missus, non habet potestatem, nisi litteras habeat sigillo regio obsignatas: ita similiter nisi quis characterem habeat quo deputetur & ordinetur in legitimum collatorem vel susceptorem sacramentorum, vel defensorem fidei, nihil validè, vel saltem ex officio, præstabit in illis.

111. Intelliges etiam ex dictis, quomodo per characterem dicamur configurari Trinitati, quia nempe sicut Trinitas operatur per actum imperii, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, ut in Tract. de scientia Dei fusè declaravimus, ita & character.

112. Denum facile colliges ex dictis, quomodo character distinguatur à religione: hæc enim respicit cultum divinum, sub ratione boni, ille verò sub ratione veri practici, & non ut bene moraliter, sed solum ut validè exerceatur intendit.

ARTICVLVS IV.

Utrum character in sit anime indelebilis

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur

Explicita existentia, essentia, & subjecto characteris, superest ut præcipuum ejus proprietatem, nimirum illius incorruptibilitatem, proponamus, & utrum anime infic indelebilitatem, claremus, Vt autem certa ab incertis separemus duo ut certa & indubitata supponenda sunt. Primum est, characterem non esse indelebilem, secundum ordinem ad potentiam Dei absolutam, quia potest Deus quodlibet eius creatum destruere, suspendendo concursum conservativum illius, secundum est, characterem esse indelebilem, solum in hac vita, non quidem ab intrinseco, sed ex natura sua, quia cum sit virtus instrumentum instrumento separato communicata, est extrinseca sua vialis & fluxus, & consequenter delecta sed ab extrinseco, quatenus scilicet statum Deum semper, saltem pro præsentis statu & vita in anima conservare; hoc enim saltem definitum Florentinum & Tridentinum, dum aiunt characterem esse indelebilem; & colligitur posterius ex eo quod tria sacramenta characterem impingunt, semel suscepta, nunquam deinceps per totum vitæ tempus iterentur: si enim esse debilis in præsentis vita, vel ille qui semel baptizatus est, posset iterum baptizari, vel certe characterem deletum, esset christianus sine characterem, atque adeò à principio talis esse potuisset. Solum ergo difficultas est, an characterem indelebilitatem, ut remaneat post hanc vitam in beatis & in damnatis; pro cuius resolutione.

Dico breviter, characterem post hanc vitam in beatis & damnatis remanere. Ita cum D. Thomas hic art. 5. communiter docent Theologi.

113. probatur primò ratione quam habet in corpore Res semel Deo consecrata, quandiu remanet integra, tandiu manet etiam consecrata, ut patet in templis, altaribus, calicibus &c. Sed per characterem homo consecratur Deo, quatenus anima: Ergo quandiu remanet anima integra, tandiu etiam remanet character: Sed post hanc vitam anima integra remanet, cum sit incorruptibilis: Ergo post hanc vitam remanet character.

Dices, ex hac ratione sequi, characterem non posse deleri, etiam de potentia dei absoluta quæ res consecrata, quandiu remanet integra, manet necessario consecrata, ita ut non possit amittere suam consecrationem, etiam de potentia Dei absoluta, ut patet in calice, & aliis.

Sed contra primò, Licet daremus rem consecratam per denominationem extrinsecam ab actu præterito, sicut est calix, non posse amittere suam consecrationem, quia in Deo non est potentia faciendi ut actus qui semel fuit, non ferat hoc tamen negandum esset de re consecrata per aliquam formam sibi intrinsecè communicatam, quia potest Deus destruere formam illam per quam fit consecratio: in proposito anima consecratur per aliquid reali & sibi intrinsecum, scilicet per characterem: Ergo &c. Secundò: Deus potest execrari rem consecratam, statuendo ut ad sacros usus non sit deinceps destinata.

designata, sicut factum est post cessationem legis veteris, cum templa & vasa quæ antea erant aliquantulum consecrata, suam consecrationem amiserint.

Probatur secundò conclusio: Nullum accidens potest destrui, nisi vel physice à suo contrario, vel demeritorie & moraliter in penam peccati commissi, vel per accidens ad destructionem proprii subiecti, vel per negationem concursus causæ conservantis: Sed nullo ex his modis contingit characterem destrui post hanc vitam: non quidem primo, quia character, cum sit potentia, nullum habet contrarium: non etiam secundo, quia imputatur existenti etiam in peccato mortali, ut patet in eo qui sic accedit ad Baptismum: non etiam tertio, quia anima & potentia spirituales in quibus subiectatur character, sunt incorruptibiles: non denique quarto, quia licet possit Deus, qui solus est causa conservans characterem absolute subtrahere concursum quo liberè conservat res, nunquam tamen solet, nisi cum causæ naturales vel morales id postulant, quod in proposito non reperitur, ut dictum est.

Ex qua ratione habes, characterem esse ex natura sua indelebilem & incorruptibilem, eo proportionali modo quo Angeli dicuntur incorruptibiles. In cuius rei signum docet D. Thomas ad Roman 7, lect 1. ad illa verba Apostoli, *soluti estis a lege viri*, & ad Hebræos 11, lect 7, in fine ad illa verba, *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos* &c. quod si baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus moriatur, & miraculose resurgat, non debet iterum eadem sacramenta suscipere, quod verum non esset, si character ex natura sua non esset incorruptibilis, & non posset absque speciali miraculo post hanc vitam conservari.

S. II.

Solvuntur obiectiones.

Obijciens primò. Gratia est perfectior character, & tamen inest animæ mutabiliter, & potest, etiam in hac vita, amitti & corrumpi: Ergo multò magis character. Consequentia manifesta videtur, nam quanto accidens est imperfectius, tantò minus firmiter inhaeret subiecto.

Respondetur concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem, ob duplicem rationem discriminis. Prima est, quia gratia habet contrarium, scilicet peccatum, non verò character: ille enim (ut supra dicebamus) imprimatur etiam existenti in peccato mortali, ut patet in eo qui sic accedit ad Baptismum. Secunda est, quia gratia quæ est forma completa, exigit in subiecto dispositionem, & ejus naturæ accommodatur, & quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium, quando est in statu viæ, consequens est quòd gratia inest animæ mutabiliter, Virtus autem instrumentalis (qualis est character) magis attenditur secundum conditionem principalis agentis, sive principii à quo derivatur, quare cum sacerdotium Christi, à quo derivatur character, & cuius est participatio, perpetuum sit, & incorruptibile, juxta illud Psalmi 109, *Tuus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, character quoque indelebilis & incorruptibilis esse debet, non verò gratia sanctificans. Unde ad probationem in contrarium, distinguo Antecedens: Quanto accidens est imperfectius tantò minus firmiter inhaeret subiecto, ceteris

paribus, concedo. Si cetera non sint paria, ut contingit in proposito nego.

Obijciens secundò. Cessante fine, cessare debet ea quæ sunt ad finem. Sed finis characteris, scilicet administratio, vel receptio sacramentorum cultusque exterior, cessabit post hanc vitam. Ergo & character.

Respondetur quod præter hunc finem characteris, est alius, scilicet distinctio fidelium ab infidelibus, quæ distinctio debet manere in alia vita, in boni ad gloriam, & in malis ad ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam; & in his qui vicerunt ad gloriam, & in his qui sunt victi, ad penam, ut ait S. Doctor hic art. 5, ad 3.

Ad complementum huius disputationis quæres, quinam ex duobus effectibus sacramentorum novæ legis, debeat dici primarius & principalis, an gratia, vel character?

Respondetur gratiam dici debere primarium & principalem effectum sacramentorum novæ legis, characterem verò secundarium & minorem principalem. Ratio est, quia effectus primarius sacramentorum ille est ad quem sacramenta per se primò ordinantur. Sed illa ordinantur per se primò ad gratiam: Ergo gratia est primarius & principalis effectus sacramentorum novæ legis. Major patet, Minor probatur, Sacramenta per se primò ordinantur ad nostram sanctificationem; in quo distinguitur à sacrificio, quod per se primò respicit cultum divinum, & bonum ipsius Dei; sacramentum verò bonum hominis, seu sanctificationem ipsius: Sed sanctificatio hominis fit per gratiam, non verò per characterem: Ergo sacramenta per se primò ad gratiam, & non ad characterem ordinantur.

Confirmatur. Præcipuus effectus in sacramentis est ille qui ad ulteriorem non ordinatur, & ad quem ceteri omnes referuntur: Sed character, cum sit res & sacramentum finis, ut docet D. Thomas hic art. 6, ad 3, & communiter Theologi, ordinatur ad gratiam, gratia verò, cum sit res tantum, non ordinatur ad characterem: Ergo gratia est primarius & præcipuus sacramentorum effectus, non verò character. Unde S. Doctor in proemio quæstionis 62 sic habet, *Deinde considerandum est de effectu sacramentorum, & primo de effectu eorum principali, qui est gratia, secundo de effectu eorum secundario, qui est character.*

Dices primo. Ille est primarius effectus sacramenti, qui est simpliciter necessarius ad finem illius, qui vero ad melius esse, secundarius tantum: Sed character est simpliciter necessarius ad finem sacramenti a quo producit, gratia vero ad melius esse tantum: Ergo character est primarius effectus sacramenti, non verò gratia. Major certa videtur, Minor probatur. Finis sacramenti Ordinis verbi gratia, est conficere Eucharistiam vel ministrare in ordine ad illam; Sed ad hunc finem character est simpliciter necessarius, gratia vero ad melius esse tantum, scilicet ad illa munia recte & religiose perficienda: Ergo &c.

Respondetur negando Minorem, & ad probationem eius, nego Majorem quamvis enim finis characteris Ordinis sit conficere Eucharistiam, vel ministrare in ordine ad illam, & finis characteris Baptismalis, reddere hominem capacem suscipiendi alia sacramenta, finis tamen primarius ipsius sacramenti Ordinis, est reddere hominem gratum Deo, sicut & finis sacramenti Baptismi

tinui, est hominem spiritualiter regenerare, quod fit per gratiam, non vero per characterem.

126. Dices secundò: Ille est effectus primarius alienius causa, qui semper producit: Sed gratia non semper producit, bene tamen character: Ergo gratia non est effectus primarius sacramenti, sed character.

Respondet Major esse veram, de effectibus qui nullam ex parte subjecti exigunt dispositionem non autem de iis qui cam necessario præsupponunt; unde cum gratia per sacramenta producenda, aliquā postulet dispositionem, saltem in adultis, quam non exigit character, ex eo quod Christus ita instituit, non sequitur gratiam esse effectum secundarium sacramentorum.

DISPUTATIO V.

De Sacramentorum institutore.

Ad quest. 64. D. Thomæ.

Postquam S. Doctor de essentia, & existentia, duplicique sacramentorum effectu, gratia nimirum & character, fusè disseruit, disputat de causa efficiente illorum, quæ duplex est, institutor scilicet, & minister sive executor sacramentorum. Nos de priori tantum hic agemus, ea quæ de sacramentorum ministris disputari solent, in sequentem disputationem rejicientes.

ARTICVLVS I.

An Christus omnia legis novæ sacramenta immediate instituerit?

2. Omnia sacramenta veteris legis fuisse à Deo immediate instituta, docent communiter Theologi, & constat de circumcisione Genes. 17. de reliquis vero ex toto Exodo, & Levitico. Neque obstat quod per Moysen, & per Angelos data fuerint illa sacramenta, sicut etiam per eos data fuit ipsa lex, id enim intelligendum est solum tanquam per legatos Dei, & promulgatores ipsorum, non vero tanquam per institutores, solum enim Deum habuerunt proprium authorem. Idem dicendum est de sacramentis legis naturæ, non potest enim apparenti aliquo fundamento dici, hoc fuisse alicui homini à Deo commissum. Et certe, si hoc in lege scripta factum non est, neque in lege naturæ fieri debuit. Nec obstat, quod non à Deo determinata essent signa sensibilia in quibus consistebat, sed voluntate humana determinarentur; inde enim solum potest inferri, determinationem sacramentorum fuisse ex voluntate humana, non vero ipsam eorum institutionem: Deus enim voluit, & immediate per se ipsum instituit, quod homines, tempore illius legis, uterentur ad suam sanctificationem signis sensibilibus quamvis per eos determinandis. Solum ergo difficultas est, an omnia novæ legis sacramenta, immediate à Christo instituta fuerint, vel aliquorum institutionem Apostoli aut Ecclesiæ commiserit? Plures enim graves & antiqui Theologi, ut Magister sententiarum, Hugo à sancto Victore, D. Bona-

A ventura, & Alensis, existimant sacramenta Confirmationis, & Extremæ Unctionis, non à Christo immediate instituta, sed perinde ab Apostolis immediate fuisse instituta; post obitum Apostolorum in Concilio Medanen- secundum vero à Beato Jacobo.

Dico tamen, omnia novæ legis sacramenta immediate à Christo fuisse instituta. Conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino sessione 7. canone. his verbis: Si quis dicere sacra- menta novæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit. Quamvis autem per hoc non immediate, non expresse habeatur in illis verbis, illam tamen subintelligi à Concilio, colligitur primò ex eo quod alias differentia quæ Tridientinum assignat inter sacramenta sacramentalia, & ipsa sacramenta (quod nimirum illas potest Ecclesiæ mutare & instituere, illa substantiæ sacramentorum (nulla esset, si Ecclesiæ posset etiam instituere & mutare ipsa sacramenta. Secundò, idem Concilium sessu canonico docet Extremam Unctionem à Christo fuisse institutam, & à D. Iacobo promulgatam, ubi distinguit promulgationem ab institutione, & hanc soli Christo, illam vero D. Iacobo attribuit.

Colligitur etiam hæc veritas ex illo 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo ut ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. id est sacramentorum. Vbi Apostoli non dicuntur institutores, sed dispensatores sacramentorum. Unde Ambrosius libro 4. de sacramentis capite 4. dicit sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus.

Ratio demonstrativa huius conclusionis nulla est, quia dependet ex mera voluntate Dei, ut tamen congruentias adducat D. Thomas, 4. in solutione argumentorum. In primis, ne fideles ponerent spem in homine, si ab ipso aliqua fuissent instituta sacramenta, congruum fuit, ut Christus omnia institueret. Secundò, ne divisio in Ecclesiâ oriretur, propter diversa sacramenta, sicut apud illos qui dicebant, ego sum Paulus, ego autem Apollo, ego vero Capita. Item ne essent multa capita in Ecclesiâ, cum nim ad caput Recipiente pertineat condendos veluti fundamentales ipsius, & quæ habent vim in tota Republica, cuiusmodi sunt sacramentalia hoc ipso quod est in plures sacramentorum institutores, essent etiam plura capita in Ecclesiâ. Addo quod, cum ad dignitatem excellentiam sacramentorum pertineat dignitas & excellentia authoris, seu institutoris, sacramenta novæ legis non essent immediate instituta à Christo, essent inferiora sacramenta veteris legis, quæ (ut supra ostendimus) à Deo immediate instituta fuerunt.

Est etiam alia specialis ratio, cur omnia novæ legis sacramenta debuerint immediate à Christo institui, quam tradit idem S. Doctor in supplemento, quæst. 6. art. 6. in corp. & in 2. dist. quæst. 3. art. 1. quæst. 1. ubi ait, quod licet creatio universi præsupponitur operationi causalium secundarum quæ sicut non potuerunt ipsum creare, ejusque ordinem instituere, nec illum mutare aut invertere possunt: ita institutio Ecclesiæ præsupponitur operationi ministeriorum, qui in ea jam fundata & constituta suo statu instituuntur. Ecclesiæ autem fundatur per fidem & sacramenta: Ergo institutio sacramentorum non procedit ab operatione ministeriorum.